



Vossig de tribus Symbolis.

Calixti Praeemium in Augustini libros 4 de doctrina Christiana et Vincentij commentationem.

Oratio panagyrica.

Disputat. de Paulis.

de Baptismo & Eucharistia

de Sacro Santa Domini coena.

de statu animarum separatarum et.

Decemdecim qd. Arianos.

Programma. qd. Nestorium.

~~de~~ ~~de~~ ~~de~~

Apologia qd. Augustinum.



DISPUTATIONVM THEOLOGICARVM  
OCTAVA  
*De*  
P O E N I T E N T I A .

*CVIVS THESES  
AVSPICE DEO OPT. MAX.*

SUB PRAESIDIO  
M. GEORGI CALIXTI  
HOLSATI

IN ILLVSTRI ACAD.  
IVLIA

XIII. Kal. Sextil.

DEFENDET  
*GOTFRIDVS HOFFMAN, Strasburgensis.*



*Helmaestadt Saxonum*  
Ex officinâ typographicâ IACOBI LVCII,  
ANNO

---

clb l̄ cXI.





*Ampl. mo & Prudent. mo V.*

Dn. HENRICO Grasshoffen/ Quedlinbur-  
gensium Reipublicæ Consuli  
dignissimo;

*Clar. mo & Consult. mo V.*

Dn. IOANNI MULLERO, I. V. D. ac  
eiusdem Reipublicæ Quedlinb. Syndico  
meritissimo;

*ET*

*Ren. dis & Doct. mis V.*

Dn. M. IOANNI HAR DVVIGIO  
in Selsfen;

Dn. ANDREAE BRANDES ad D. Be-  
nedicti apud Quedlinburgenses;

Dn. IOANNI VVEITLINGIO, ad D.  
Blasij ibidem

*Pastoribus laudat. mis & vigilant. mis*

*Dominis Mecenatibus, patronis & promotoribus suis re-  
uerenter & studiosè aeternum suspiciendis  
atq; colendis*

Disputationem hanc Theologicam partim gratitudinis,  
partim obseruantiaë debitæ ergò, inscribit  
offert & dedicat

*Respondens.*





DISPUTATIO IIX.

DE POENITENTIA.

Resp. GOTFRIDO HOFMAN Strasburg.

THESIS I.



Agna est cognatio Iustificationis & Poenitentiae siue Conuersionis. Quod enim à parte nostri est, vnde homo iustificatus esse dicitur, eiusdem respectu conuersus quoq; esse dicitur. Diuersae tamen sunt considerationes. Nam iustificatio consideratur prout ordinē habet ad Deum iustificantem; & tractatur ibi non tantum quod Deus acceptat à parte nostri, nempe Fides: sed totum id quod nobis pro iustitiā est in conspectu Dei, omnesq; iustificationis nostrae causae. Conuersio potissimum consideratur quò ad actus qui à conuerso proficiunt, & in conuersione requiruntur, non tantum eam ingredientiē & constituentē, sed etiam concomitantes aut consequentes, prout ordinem aliquem habent ad Ministerium Euangelij, & Absolutionem denunciandam conuerso.

II. Poenitentiae vocabulum propriè significat angere & dolere de commisso, & nolle commissum fuisse, Agellius lib. 17. cap. 1. *Poenitere tum dicere solemus, cum quae ipsi fecimus, aut quae nostrā voluntate, nostroq; consilio facta sunt, ea nobis post incipiunt displicere, sententiamq; nostram in ijs demutamus.* Hoc verò non fit sine quodam morso & poenā animi; vnde Isidorus: *Poenitentia quasi punientia, eò quòd ipse homo in se puniat poenitendo, quod male admisit.* 1.6. Orig.

III. Vulgata versio hoc vocabulo vtitur pro conuersione hominis peccatoris ad Deum, quae tamen plus includit, quàm

Aa



quàm illud displicere & dolere. Hebræa itaq; vox  $\eta\kappa\alpha\iota\tau\eta$   
à radice  $\kappa\alpha\iota$  aptior & plenior est ad exprimendam totam  
conuersionem, actusq; & effectus eius. Etiam Græca vox  
 $\mu\epsilon\tau\acute{\alpha}\nu\omicron\iota\alpha$  melior est, quàm Latina; significat cogitationem quæ  
suscipitur post factum, illud considerans, erratum animad-  
uertens & improbens, item emendationem & mutationem  
mentis. Adfinis vox est  $\mu\epsilon\tau\alpha\mu\acute{\epsilon}\lambda\epsilon\iota\alpha$ , cuius tamen rarior vsus  
in sacris. Senior filius, qui recusarat ire ad opus patre iubente  
dicitur  $\acute{\upsilon}\sigma\epsilon\rho\nu\ \mu\epsilon\tau\alpha\mu\epsilon\lambda\eta\theta\epsilon\iota\varsigma$  abijisse in vineam laboratum. *Matth.*  
*21, 29.* Judas  $\mu\epsilon\tau\alpha\mu\epsilon\lambda\eta\theta\epsilon\iota\varsigma\ \acute{\alpha}\pi\acute{\epsilon}\sigma\tau\epsilon\psi\epsilon\ \tau\acute{\alpha}\ \tau\epsilon\iota\acute{\alpha}\kappa\omicron\nu\tau\epsilon\ \acute{\alpha}\rho\gamma\acute{\upsilon}\rho\iota\alpha$ , *Matth.* *27, 3.*

IV. Manifestum itaq; Latinam vocem Pœnitentiæ à pri-  
mâ & propriâ significatione vsu translata esse ad significan-  
dum totum actum conuersionis. Atq; ita acceptæ æquiualeat  
ei in Scripturis, quærere Dominum Deum in toto corde & in  
totâ animâ, *Deut.* *4, 29.* *Hos.* *3, 5.* Reuerti à viâ suâ malâ, *1. Reg.* *13, 33*  
*Ier.* *35, 15.* & bonas facere vias & conatus suos *Ier.* *18, 11.* humili-  
ari & exquirere faciem Dei, *2. Paralip.* *7, 14.* auerti ab iniquitate  
suâ, præuaricationibus & peccatis suis, *Iezech.* *18, v. 21, 27, 30.*

V. Quoniam autem & ille, qui Deum antè non nouit, ad  
Deum verumq; Dei cultum conuerti dicitur: & ille qui mem-  
brum Ecclesiæ est, in peccata ex insidijs Diaboli aut carnis  
infirmitate prolapsus resipiscit & pœnitet; vtraq; Conuersio  
Pœnitentiæ nomen sortita est.

VI. Sed vt aliquid certi de Pœnitentiâ & Absolutione  
statuere possimus, exempla eius rei petemus è S. Scripturâ,  
quæ sola & certissima norma est quorumcumq; ad religionis  
negocia pertinentium. David adulter grauiter à Nathane  
Prophetâ obiurgatur. *Dixit autem David ad Nathan: Peccaui*  
*Domino. Dixitq; Nathan ad David: Et Dominus transtulit pecca-*  
*tum tuum, non morieris. Quandoquidem verò re istâ omnino hosti-*  
*bus Domini occasionem dedisti blasphemandi, morietur etiam cer-*  
*tissimè filius qui natus est tibi. Idem cum populum numerasset,*  
*doluit*

2. Sam. 12, 13



*doluit corde suo, ait q̄ David ad Dominum: Insigniter peccaui in hoc quod feci. Nunc ergo transfer queso o Domine iniquitatem serui tui, quoniam vehementer stultè egi.* 2Sam. 14, 10

VII. Sub initium N. Testamenti Ioannes Baptista prædicabat in deserto, & dicebat: *μετανοείτε*. Resipiscite, mentem mutate, siue meditamini emendationem vitæ: *adpropinquauit enim regnum cælorum*. Matth. 3, 1. Marcus 1, 4; & Lucas 3, 3 ita: *Baptizabat Ioannes in deserto, predicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*, id est, suo baptismo adhortans ad resipiscentiam, vt remissionem peccatorum consequerentur. Et adiicit: *Facite fructus dignos pœnitentiæ*. Petrus Act. 2, 38. *Pœnitentiam agite. & baptizetur unusquisq̄, verstrum in nomine I. Christi in remissionem peccatorum vestrorum: & accipietis donum Spiritus sancti*. Porro exempla veræ pœnitentiæ videre licet in peccatrice, Luc. 7. in publicano, Luc. 18. Zachæo, Luc. 19. In Petro, Matth. 28. Latrone, Luc. 23. Iudæis, Act. 2. Item Corinthio incestus reo. Pœnitentiæ vanæ & inutilis exemplum præbet Iudas.

IX. Vt autem perturbatæ mentes euidenti consolatione erigerentur, & homo etiam sensibus misericordem Dei erga se voluntatem perciperet, Christus discipulis suis potestatem fecit remittendi peccata. Apud Matthæum c. 16, v. 19 Petro, qui communi Apostolorum nomine confessionem de Messia ediderat, dicit: *Tibi dabo clauas regni cælorum; Quidquid ligaueris in terrâ, erit ligatum in cælis: & quidquid solueris in terra, erit solutum in cælis*. Et c. 18, v. 18. quod omnibus sub vnus personâ promiserat, iisdem simul sumtis confert in hunc modum: *Amen dico vobis, quacumq̄ ligaueritis in terrâ, erunt ligata in cælo; & quacumq̄ solueritis in terrâ, erunt soluta in cælo*. Hanc ipsam potestatem iisdem post resurrectionem suam commendat & confirmat Ioan. 20, 21. *Dixit eis, Pax vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Et cum hæc dixisset, in-*



flavit, & dicit eis: *Accipite Spiritum sanctum. Quorumcumq; remiseritis peccata, remittuntur eis, quorumcumq; retinueritis, retenta sunt.* Atq; hinc à Christo Sacramentum Pœnitentiæ præcipuè institutum esse docent Tridentini *sess. 4. cap. 1.*

*c. 24. v. 46.*  
*l. 12. in Ioan c. 56.*  
*Comp. Th. ver. rub. 26.*  
IX. Qualis autem propriè hæc sit potestas, colligere licet ex Luca, qui verbis Christi rem explicat in hunc modum: *Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertiâ die: & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes.* Hæc itaq; potestas remittendi est potestas prædicandi, & adnunciandi remissionem. Nam, vt rectè docet Cyrillus, *certè solius veri Dei est, vt possit à peccatis homines solvere.* Atq; hoc facit priusquam accedat Absolutio sacerdotis, quodcumq; peccator viuâ fide Christum adprehendit, vt sana habet sententia; vt Pontificij docent, quando debito modo contritus est. Bonaventura ait: *Necessitas confitendi post contritionem non est in tali casu propter necessitatem remedij, cum peccatum iam dimissum sit, sed propter obligationem præcepti.* Et nisi adsit fides (siue vt isti volunt, contritio) non sequetur remissio peccatorum, vt ut absolutionem suam adhibeat sacerdos. Remissio itaq; non est effectus istius absoluti-  
onis: Nam nihil est causa effectus alicuius, quo non existente nihilominus sequitur effectus, propter præsentiam alterius causæ, quæ si præsens non fuerit, non sequatur effectus quocumq; alio existente.

*c. 16. v. 19.*  
X. Quamobrem rectè Hieronymus, quando locum quem ex Matthæo adduximus, interpretatur. *Hunc inquit, locum quidam non intelligentes aliquid sumunt de supercilio Phariseorum, vt damnare innoxios, vel solvere se putent noxios, cum apud Deum non sententia Sacerdotum, sed reorum vicia queratur.* In Leuitico se ostendere sacerdotibus iubentur leprosi, quos illi non faciunt leprosos vel mundos, sed discernunt, qui mundi vel immundi sunt. Ita & hinc aperte ostenditur, quòd non semper sequitur Deus eccle-  
sia in-



*sua iudicium, quae per subreptionem & ignorantiam interdum iudicat, Deus autem semper secundum veritatem. Et in remittendis vel retinendis culpis, id iuris & officij habent ecclesiastici sacerdotes, quod olim habebant sub lege legales, in curandis leprosis. Hi ergo peccata dimittunt vel retinent, dum dimissa à Deo vel retenta indicant & ostendunt.* Atq; hanc Hieronymi sententiam sequutus est præcipuus Pontificiorum doctör Petrus Lombardus, 4. *sent. distinct. 18. E;* & hunc iterum communiter sequutos fuisse doctores antiquos testatur Gabriel 4. *dist. 14, quest. 2. art. 1. not. 2.* sed Scotum in contrariam abiisse. Ipse certè loco iam citato Hieronymi & Magistri sententiam amplectitur, nec non 4. *dist. 18. quest. 1. art. 2.* Item Alensis 4. *part. quest. 150, memb. 1 & 2.* Bonaventura 4. *dist. 18. p. 1. art. 2. quest. 1. & 2.* Thomas Argent. 4. *dist. 18. quest. vn. art. 2.* Ioannes Maior 4. *dist. 14. q. 2. & dist. 18. q. 1.* Alrifiodorensis 4. *summa, tract. de Pœnitent. Abulensis 1. p. defens. cap. 5 & 6.* Marsilius 4. *quest. 10. art. 1.* vbi docet *absolutionem exteriorem tantum signum esse remissionis culpa.* Vnde manifestum est Tridentinos non antiquioribus solum Patribus, sed suis quoq; Magistris anathema dicere *sess. 4. can. 3.*

XI. Nos itaq; potestatem remittendi & retinendi non dicimus esse aliam nisi ministerium adnunciandi remissionem aut retentionem, sicut cum sententiam iudicis minister extabulâ recitat & promulgat, non ipse iudicium exercuisse, verum benè iudicij publicationem administrasse dicetur. Idem hoc loci facit Sacerdos; tabulæ verò è quibus sententiã omnipotentissimi Iudicis recitat sunt sacræ literæ, quæ eam ante iacta fundamenta mundi decisam & determinatam continent ita, vt absolutio & vita pœnitentes & credentes in Filium, impœnitentes autem & incredulos mors & damnatio maneat. Vnde rectè Ambrosius, *Remittuntur inquit, peccata per Dei verbum, cuius Leuites interpret & quidam exsequutor est: remittuntur per officium sacrum q̄s ministerium.* Item: *Per Spiritum sanctum*

2. de Cain & Ab. c. 4.

3. de Sp. S.

c. 19.



peccata donantur. Homines autem in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent, non ius alicuius potestatis exercent. Atq; hanc sententiam decretis inseruit Gratianus, *dist. 1. de Pœnit. c. Verbum Dei.*

XII. Vult autem Deus ita Ecclesiæ ministros pœnitentibus & veniam petentibus remissionem adnunciare, vt promissionibus diuinis mentes erigantur & fides confirmetur: Impœnitentibus contrà & contumacibus peccata retinere, h. e. negare Deum talibus esse propitium, negare esse heredes vitæ æternæ, & apertè denunciare iram & iudicium Dei, quòd-que sint in potestate Satanæ, destinati pœnis huius & alterius vitæ nisi conuertantur; deniq; separare à societate visibilis ecclesiæ, ne hæc malè audiat apud eos qui foris sunt, & sana eius membra contagio inficiantur, aut peccatis eorumq; pœnis communicent, *2. Ioan. v. 11.* sed timorem habeant, *1. Tim. 5, 20.* peccator autem ipse cùm sensu iræ diuinæ perterritus tum externâ contumeliâ motus ad pœnitentiam redeat & lucrifiat. Vnde Paulus: *Si quis non obedit sermone nostro, per epistolam hunc indicate, & ne commercium habeatis cum illo, vt pudore suffundatur.* Et Ioannes: *Non recipite in domum, nec Aue illi dicite.* Exemplum videre licet in Corinthio, incestus reo, quem Paulus *Satana tradit ad interitum carnis, quò spiritus saluus sit in die Domini Iesu.* Deinde Corinthijs præcipit *non commisceri, si quis, qui frater adpellatur, fuerit scortator, aut auarus, aut simulacrorum cultor, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax; & cum eiusmodi ne quidem cibum capere.* Eundem verò resipilcentem recipit iterum, & ait: *sufficit eiusmodi homini obiurgatio hæc facta à pluribus: adeò vt è diuerso magis condonetis & consolemini, ne fortè abundantiori tristitiâ absorbeat, qui eiusmodi est.* Idem Paulus Hymenæum & Alexandrum tradidit Satanæ, vt discant non blasphemare, *1. Tim. 1, 10.*

XIII. Ex hisce, quæ hætenus adduximus è Scripturâ testi-



testimonijs & exemplis facile erit statuere de Pœnitentiâ & de Absolutione.

XIV. Pœnitentia igitur est hominis peccatoris ad Deum conuersio, quâ peccata ex doctrinâ legis agnoscit, fatetur, detestatur, deq; irâ & offensâ Dei angitur: erigitur autem vicissim voce Euangelij, Christumq; & promissiones fide adprehendit.

XV. Duas, vt patet, pœnitentiæ partes essentielles constituiimus, adpellamusq; Contritionem & Fidem. Exprimuntur manifestò à Seruatore, cùm dicit: μετανοείτε καὶ πιστεύετε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ. Marc. 1, 5. Et Paulus ait testificatum se Iudæis & Gentilibus τὴν εἰς τὸν θεὸν μετάνοιαν, καὶ πίστιν εἰς τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν. Act. 26, 20. Atq; vtriusq; figura est in Samaritano, qui in vulnera infundit vinum & oleum: nam & Lex & Euangelium suam hinc operationem & efficaciam exserit. In ipso etiam paradiso primos parentes Deus voce latæ legis perterrefactos & conuictos editâ de semine mulieris promissione consolatur, erigit, & in gratiam recipit. Et idem euidenter colligitur ex omnibus exemplis pœnitentiæ quæ habentur in scripturis.

XVI. Contritio verus & serius dolor est de commissis peccatis.

XVII. Vocabulo hoc non vtuntur Apostoli, sed pro eo Pœnitentiâ strictè sumtâ, prout à Fide, sicuti ostendimus, distinguitur. Paulus 2. Cor. 7, 10. vocat λύπην κατὰ θεόν, sicut antè adpellasse diximus μετάνοιαν εἰς τὸν θεόν: & addit eam operari pœnitentiam in salutem stabilem, scilicet primum esse pœnitentis actum, à quò incipiat pœnitentia. Deducta est itaq; vox contritionis è V. Testamento, vbi frequens eius in hoc sensu vsus. Psal. 51, 19. Cor contritum & humiliatum Deus non despicias. Psal. 147, 3. Deus sanat contritos corde. Ies. 57, 15. dicit Deus se habitare cum humiliatis & contritis corde. Et 61, 1. Mederer contritis corde. 66, 2. Respiciam ad adflictum & contritum spiritu.

18. Præ-



XIII. Præsupponit Contritio agnitionem peccati, & agnitionem iræ Dei aduersus peccata, punientis ea temporalibus & æternis pœnis. Vtraq; autem excitatur à Lege, per quam agnitio peccati, *Rom. 3, 20.* & quæ hoc sensu iram operari dicitur, *Rom. 4, 15.* Vnde *numquid non uerba mea sunt, quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petras?* Icludit odium atq; detestationem peccati, & propositum euitandi in posterum; neq; non ingenuam coram Deo cum culpæ tum reatus confessionem, ne quidquam vel extenuet vel excuset. *Psal. 32, 3. Quoniam tacui inueterauerunt ossa mea.* Quò pertinent etiam lacrymæ per seriam peccati agnitionem excussæ. *Psal. 6, 7. Laboraui in gemitu meo, natarefeci in omni nocte lectum meum: in lacrymis meis stratum meum madefeci.*

XIX. Fides est fiducia, quâ in meritis Christi adquiescimus. Excitatur voce Euangelij, ut promissiones de remissione per Christum adprehendamus, quum in nobis non inueniamus, per quæ iram Dei sistamus, aut satisfaciamus. Inde dixit Paulus, Legem pædagogum nostrum esse ad Christum, quando uidelicet veram contritionem lex operata est, atq; sub maledicto esse qui sub operibus legis sunt, & neminem in lege apud Deum iustificari, adeoq; nihil omninò in se spei esse ipso facto ostendit, à se ad Christum fide adprehendendum ablegat.

XX. Fidem autem requiri Christus ipse docet, quando ad Paralyticum, *Confide, inquit, fili,* & addit in quid debeat confidere, scilicet *remittuntur tibi peccata tua.* Et peccatrici: *Fides tua te saluam fecit.*

XXI. Et quidem fidem maximè actum & formam Poenitentiae siue conuersionis esse inde liquet, quòd is demum conuersus rectè dicatur qui fidem habet, & quod nisi fides adsit, neq; agnitio neq; contritio salutare sint. *Nam quicumq; non crediderit, condemnabitur.* Et hac voluntas patris est ut omnis

*sequenda uide infra uersis 49. folijs. qui*



qui credit in filium non pereat, sed habeat vitam aeternam.

XXII. Quoniam autem ut antè ostendimus, contritionem consequitur detestatio & propositum euitandi peccata in posterum; (nemo enim voluntatem habebit rursus committendi, de quo nunc angatur & doleat) quum etiam fides eius naturæ sit, ut Paulus eam per caritatem ἐνεργουμένην esse dicit Gal. 5, 6. cat, & Ioannes: *Omnis qui in eo manet non peccat, h. e. non habet propositum peccandi; Omnis qui peccat non vidit eum, nec cognovit eum.* Et qui non diligit non nouit Deum; de quo puncto superiore disputatione pluribus egimus: manifestum est ex his, Nouam obedientiam, siue propositum bene viuendi, siue bona opera à verâ pœnitentiâ abesse non posse, quamquam actum eius non ingrediantur, sed consequantur. Atq; hoc est, quod Ioannes iubet nos facere fructus dignos pœnitentiæ. Quippe *omnis arbor bona facit fructus bonos.* Christus quum ad alteram absoluisset adiicit: *Vade & posthac ne peccaueris.* Paulus ad Agrippam: *Adnunciabam ut pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad Dominum opera facientes digna iis, qui resipuissent.* Item: *Age pœnitentiam & fac opera priora.* Huiusmodi igitur fructus ad veram pœnitentiam necessarij erunt non simpliciter, sed ex consequentiâ siue hypothesi, quatenus videlicet vera pœnitentia veram fidem exigit, & vera fides bonorum operum proxima & immediata causa est, ita ut illa per hæc & hæc per illam demonstrari possint, sicut ex Epistolâ Iacobi manifestum est.

XXIII. Quod autem Absolutionem adtinet, siue potestatem illam remittendi peccata, liquet ministros eâ fungi ex mandato diuino, nihilq; sibi licere, nisi quod mandato illo continetur.

XXIV. Sicut itaq; Deus impœnitentibus & incredulis remissionem peccatorum non impertit: ita nec eam talibus adnunciare debent ministri.

B b

25. Quum



XXV. Quum autem cordium scrutatores non sint, necesse est, ut qui peccatorum remissionem petunt, quiq; in ulteriore confirmationem voce ministri eam sibi denunciari volunt, poenitentiae aliqua signa coram & confessionem edant, quodq; meritis Christi confidant, & quantum in se sit, emendationis propositum habeant; & quod credant, denunciationem à ministro factam niti mandato & promissionibus diuinis.

Rom. 5, 1.

XXVI. Auditæ absolutioni utpote promissionem & mandatum habenti pia mens fidenter acquiescit, atq; ita consolationem concipit & pacem erga Deum. Et quoniam à Deo tantis adfecta est beneficijs, cauet, ne quoquo modo eum offendat, aut ad iram rursus irritet. In gratiam quoq; & quasi *ἀντίδοτον* tantarum remissionum proximo promptè indulget; sicuti fieri se velle ostendit Seruator parabolâ de seruo debitor, Item responso discipulis dato: *si septies in die peccauerit in te, & septies conuersus fuerit ad te dicens: Poenitet me; remitte ei.*

Matth. 18.

Luc. 17, 3.

XXVII. Postquam sanam sententiam ex sanctæ scripturæ fundamentis iuxta analogiam fidei extruximus & adstruximus; consequens est ut ad aduersarios Pontificios conuertamur, & quid illi de Poenitentia & Absolutione statuam, examinemus.

XXIIX. Et quidem Poenitentiam Sacramentum esse volunt; non autem nisi eam, quam post resurrectionem Domini insufflatione in discipulos institutam perhibent, exclusâ quæ fuit in vet. Testamento, & quam prædicauit Ioannes, nec non eâ, quâ non renati ante susceptum baptismum conuertuntur: accipiuntq; pro actibus illis, quos edunt poenitentes, & absolutione ministri, atq; ex hac & istis Sacramentum Nouæ legis confieri docent, cuius Sacramenti forma sit absolutio facta à sacerdote posita in illis verbis: *Ego te absoluo &c.* materia autem, actus editi à poenitente Contritio cordis, ut vocant, confessio oris & satisfactio operis.

29. Nos



XXIX. Nos huiusmodi poenitentiae significationem in scripturis non inuenimus, nec aliam nisi qua ad hominem peccatorem refertur, ut vel totam conuersionem denotet, sicut in plerisque dictis; vel tantum unam eius partem, Contritionem, sicut Marci 1, 15. Lucae 24, 47. Matth. 21, 32. Act. 20, 21.

XXX. Absolutionem igitur cum ipsa poenitentia non confundimus. Neque verò hic an illa Sacramentum sit, operose disputabimus. Nam cum Sacramenti adpellatio ἀγασμα sit, si de rebus conueniret, nullas se de uocabulis λογομαχίας excitaturam profiteretur Apologia Augustanae confessionis.

XXXI. Quanquam autem in Absolutione promissio singulis adplicetur, quum tamen desit externum elementum, à Christo in hunc usum destinatum manifestò apparet non posse Sacramentum dici, quale Baptismus est & Sacra Coena.

XXXII. Quando verò inter nos & Pontificios controvertitur de partibus Poenitentiae, quas integrales Bellarminus adpellat, & tres numerat, Contritionem, confessionem & satisfactionem; hoc potissimum quaeritur, an haec requirantur ad Absolutionem, & sine his Absolutio fieri non debeat.

XXXIII. Nam quando Poenitentia proprie & pro conuersione accipitur, ex articulo Iustificationis manifestum est, quid requiratur. Quomodo autem Conuersio & Iustificatio conueniant, supra ostendimus.

XXXIV. Et verba sunt ipsius Bellarmini lib. 2. de Poenit. c. 13. *Scriptura passim docet, eos qui toto corde ad dominum conuertuntur, sine mora veniam peccatorum accipere.* Habemus itaque aduersarium confitentem, sine confessione oris & satisfactione operis haberi posse veniam peccatorum. Quod quomodo cum utriusque necessitate, quam post illa statuit, conciliare possit, ipse videat. Vel hinc tamen manifestum sit, vera esse, quae nos supra contra ipsum disputauimus.

XXXV. Praetermitto haec, quam pulchrè ipsi inter se



conueniant Pontificij scriptores in constitutione partium  
poenitentiae. Scotus, Occam & qui eos sequuntur docent  
substantiam sacramenti poenitentiae consistere in solâ absolu-  
tione *P*erdotis. Sic quoq; Gabriel: *Accipiendo partem pro-*  
*prie, neq; contritio, neq; confessio, neq; satisfactio est pars poeniten-*  
*tiae acceptae pro sacramento. Quia sic poenitentia realiter non est*  
*nisi sacerdotalis absolutio confitentis.* Durandi huiusmodi  
est sententia: *Contritio & satisfactio non sunt materia neq; for-*  
*ma sacramenti poenitentiae. Forma enim consistit in verbis absolu-*  
*tionis: materia, si qua sit, in verbis confessionis.* Petrus de Palude  
docet *contritionem esse materiam remotam, confessionem propin-*  
*quam; satisfactionem autem in absolute inunctam esse partem*  
*formalem ipsius formae.*

4. dist. 16. q.  
3. a. 2. concl.  
3.

4. dist. 16.  
quaest. 1.

4. d. 16. q. 4.  
art. 1.

Heb. 11. 6.

Matth. 27.

XXXVI. Hoc saltem nunc quaero, quomodo actiones  
vnius hominis, partim immanentes partim transeuntes mate-  
ria esse possint actionis alterius ab alio homine praestitae? Et  
quomodo satisfactio operis, quae demum sequitur Absoluti-  
onem & susceptionem Sacramenti, nonnumquam planè in-  
termittitur, materia esse possit ipsius Sacramenti? Nam to-  
tum integrale requirit quamlibet sui partem actualiter. Et  
quomodo Contritio cordis, quae per se est insensibilis possit  
esse materia sensibilis? Et quomodo, quum impossibile sit  
sine fide placere Deo, Deo tamen placeat Poenitentia Ponti-  
ficia, in qua ne minima quidem fidei mentio?

XXXVII. Iudas certè quae requirunt Pontificij, cuncta  
praestitit. Contritus est, Confessus est, & quidem sacerdoti-  
bus; demum satisfecit opere, argentum abiicit in templum  
& abiens strangulauit seipsum. Pontificiam igitur poeniten-  
tiam, totam habuit; & tamen veram non habuit. Pontificia  
itaq; vera non est. Quòd autem neq; Iudae neq; à Pontificijs  
descripta poenitentia vera sit, in causâ potissimum est defe-  
ctus Fidei. Nam quicumq; non crediderit, condemnabitur.

De



XXXIIX. De Contritione tradunt Pontificij aliam imperfectam esse, quam Attritionem vocant, ortam ex consideratione turpitudinis peccati atq; iræ Dei, & metu pœnarum; aliam perfectam ortam ex dilectione Dei, quâ dolet homo, quod summum bonum & Deum tam beneficum offendent. *Attritio dicitur actus displicentia cum privatione informitatis, & ideo quando informatur à caritate, perdit rationem attritionis.* Fr. Mayron. 4. dist. 15. quæst. 3. art. 2.

XXXIX. Verùm sacræ literæ Contritionem veram non hinc solum, sed etiam inde oriri docent Psal. 38, 4. *Non est pax ossibus meis, nec sanitas in carne meâ, à facie iræ tuæ.* Psal. 6, 1. *Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in irâ tuâ corripias me.* Quare parum tutum est negare à sensu iræ & pœnarum oriri.

XL. Potius si Contritionis discrimen faciendum, inde id petendum erit, quòd aliam fides excipiat & subsequatur, aliam non item; atq; hanc mortiferam esse, vt in Iuda, pœnitentiam pœnitendam, & tristitiam seculi, 2. *Corinth. 7, 10*, illam salutarem, vt in Petro.

XLI. Atq; salutarem singulare Dei donum esse quum nō simus sufficientes ex nobis ipsis cogitare aliquid boni, quasi ex nobis ipsis 2. *Cor. 7, 5*. testantur etiam dicta. Act. 5, 31. *vt deo pœnitentiam Israël & remissionem peccatorum.* Act. 11, 18. *Nempe etiam gentibus Deus pœnitentiam dedit ad vitam.* 2. *Tim. 2, 25*. *Sic forte eis Deus dederit pœnitentiam ad agnitionem veritatis.* Iezech. 36, 26. *Dabo vobis cor nouum, & Spiritum meum ponam in medio vestri. Et auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum.* Ex quibus intelligitur & refellitur error, qui Contritionem dolorem esse definit voluntariè adsumtum, eamq; adscribit libero arbitrio & viribus humanis.

XLII. Deinde blasphemia est in Christum, & iniuria in perfectissimum eius meritum quod docent Contritionem



esse causam remissionis peccatorum. Nam si ex operibus hereditas, euacuata est fides, & abolita promissio. Gratiâ saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis *Eph. 2, 8.* Iustificamur gratis per ipsius gratiam *Rom. 3, 24.*

XLIII. Necessaria quidem est in Poenitentiâ Contritio, quia Deus ita ordinauit, vt lex sit pœdagogus noster ad Christum, & vt morbum agnoscamus; nequaquam vt ipsa remissionem efficiat vel mereatur. Quam egregiè enim efficiat & mereatur, viuum exemplum est in Caino & Iudâ.

XLIV. Quâ verò metamorphosi quod antè erat materia nunc fit causa efficiens? Et quis vniquam somniauit causam curationis esse, si æger agnoscat morbum, fateatur aut doleat? Certè tota ea sita est in medico perito & fido.

XLV. Quantum ad Confessionem, obiter notandum est hanc vocem in sacris accipi aliàs pro simplici & liquidâ affirmatione *Ioan. 1, 20. Matth. 7, 23. Tit. 1, 16;* aliàs pro professione doctrinæ; aliàs pro laude & celebratione diuinâ, vt in Psalmis: *Confitemini Domino.* Aliàs autem, quod magis huc facit, pro agnitione & confessione criminum, quæ fit vel coram Deo corde; aut corde simul & ore; vel coram hominibus, siue priuatim, siue publicè: Estq; vel totius Ecclesiæ, vel vnius eius membri, & alia quidem generica & vniuersalis, alia specifica grauiorum quorundam delictorum. In sacrificijs V. Testamenti vsitata fuit quædam publica confessio tum vnius aut paucorum, tum totius Ecclesiæ, quâ & in genere se damnabant, & aliqua scelera speciatim enarrabant, vt videre est in descriptione sacrificiorum. Exemplum quoq; est *Nehem. 9.*

XLVI. Quod autem adtinet confessionem, quam alteram Poenitentia partem Pontificij constituunt, supra nos monuimus, Confessionem exigi debere à Ministro, ne impœnitentibus & indignis remissionem annunciet, quo respectu illa à parte Ministri necessaria erit. Vtilis quoq; est à parte aliorum,



rum, qui aut exemplum conuersionis, vt & ipsi conuertantur, inspiciant; aut de conuerso gaudeant & Deo gratias agant. Requiritur quoq; à parte ipsius peccatoris, vt is se humiliet & talem fateatur, qui misericordiâ & veniâ indigeat.

XLVII. Hoc autem fieri potest externis signis, potissimum quidem viuâ voce, idq; vel secretò vel manifestò. De huiusmodi confessione habetur locus in Actis 19, 18. *Multi credentium veniebant confitentes & adnunciantes actus suos.* Matth. 3, 6. *Baptizabantur ab eo in Iordane confitentes peccata sua.* Et in Epistolâ Iacobi 5, 16. *Confitemini alterutrum peccata vestra: quod nonnulli de mutuâ offensarum confessione & deprecatione exponunt.*

XLVIII. An verò confessio coram pluribus, vel secretò in vnius aurem fieri debeat, nullum exstat in scripturis mandatum.

XLIX. Quod autem Ecclesia ritus ad ordinem & ædificationem facientes obseruat, inter quos etiam ille est, vt qui sceleribus notarijs Ecclesiam publicè offendit, publicè quoque confiteatur & deprecetur, & signa aliqua poenitentiae externa edat; quales quoq; constitutiones in antiquâ Ecclesia subinde mutatae sunt: accuratè hæe inquam discernendæ sunt ab ijs, quæ expressè in scripturâ continentur, ne vtrisq; parem aut auctoritatem aut necessitatem adsignemus.

L. Chemnicus adnotat huiusmodi grauiorum criminum confessionem, aliàs fuisse publicam, eamq; vel ex lege, si crimen innotuisset, vel si occultum esset, voluntariam; aliàs priuatim primùm, sed post quoq;, si sacerdoti videretur, publicè præstitam; aliàs confessionem quidem priuatim factam, sed poenitentiam siue mulctam publicè persolutam; aliàs vtrumq; priuatim peractum, & nihil in publicum emanasse.

LI. Habet autem & suas utilitates priuata & specifica grauiorum criminum confessio, nec à nobis improbatur, si fiat in-

2. part. Exam. Conc. Trid.



at instructionis, consilij aut consolationis, nec non discretio-  
nis ergo.

LII. Atq; talis est Confessio, quæ fit hominibus. At ea,  
quæ Deo fit potissimum, actus est contritionis, & effectum  
legis, quæ si cum fiducia in Christum fiat, perfectam conuer-  
sionem constituit à parte peccatoris, quam à parte Dei exci-  
pit Remissio siue Iustificatio. Hoc docet Ioannes, quum ait:  
1. Ep. 1, 9. *Si confiteamur peccata nostra fidelis est & iustus, ut remittat nobis*  
Psal. 32, 5. *peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* David: *Dixi*  
Luc. 18, 13. *confitebor aduersum me iniquitatem meam Domino, & tu remisisti*  
*impietatem peccati mei.* Ita confitebatur Publicanus: *Deus pro-*  
Luc. 15, 21. *pitius esto mihi peccatori. Et descendit iustificatus in domum suam.*  
Ita Acolastus: *Pater peccaui in caelum & coram te: neq; post hac*  
*sum dignus, qui vocer filius tuus. Dixit autem pater seruis suis: pro-*  
Luc. 17, 10. *ferre stolam primam, & induite illum.* Ita in oratione domini-  
câ iubet nos Christus quotidie Deo peccata confiteri & veni-  
am precari. Item: *Si omnia feceritis, dicite, serui inutiles sumus.*

LIII. Pontificij requirunt particularem enarrationem  
& enumerationem singulorum peccatorum, in specie sacer-  
doti faciendam.

LIV. Verùm hæc inutilis est. Qui enim se peccatorem  
confitetur, neq; negat nullum præceptum diuinum esse, cui  
planè & plenè fatisfecerit: is non opus habet singula enarra-  
re, quum in hac confessione omnia peccata, quæ singulariter  
enarrari possunt includantur. Deinde impossibilis est. Nam  
Psal. 19, 31. *delicta quis intelligit?* Quasi verò breui temporis spacio enu-  
merari possint omnia, vnà cum omnibus suis circumstantijs  
peccata per integrum annum commissa? Dicunt enim Tri-  
dantini, statuisse Lateranense Concilium, *ut præceptum con-*  
*fessionis saltem semel in anno, ab omnibus & singulis, cum ad annos*  
*discretionis peruenissent, impleretur: scilicet, ut subiungunt, sa-*  
*cro illo & maximè acceptabili tempore Quadragesima.*

55. Qua-



L V. Quare rectè nostri Pontificiam confessionem carnificinam conscientiarum adpellant, per quam non tantùm Monachi secreta etiam summorum Monarcharum extorquent, verùm mentes in desperationis periculum præcipitant.

LVI. Nam peccatum, quod non confiteris, non remittitur. Peccatum quod remissum non est inducit damnationem. Quare sicut certus esse non potes, te omnia tua peccata confessum, ita nec certus esse potes te liberum à damnatione. Immò sicut certus esse potes, te omnia tua peccata in specie non enarrasse: ita certus eris de eorum retentione, & tui damnatione. Quòd si dicant, vt dicunt Tridentini: *Reliqua peccata, que diligenter cogitanti non occurrunt, in vniuersum eadem confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus fideliter cum propheta dicimus: Ab occultis meis munda me Domine;* quur Psal. 19. non & nos dicamus reliquorum eadem esse rationem, & in generali confessione includi?

LVII. Postremò enumeratio singulorum peccatorum sacerdoti facienda non habet præceptum diuinum, nec aliquã promissionem, nec exemplum in sacris literis. Ergo non est de iure diuino & per consequens neq; necessaria, neq; pars poenitentia.

LIX. Ipsi quidem Pontificij olim haut negârunt. Gratianus quidem *de Poenit. dist. 1.* eius necessitatem in dubio relinquit. Glossa de poen. dist. 5. c. 1. *Melius, inquit, dicitur eam institutam à quadam generali siue vniuersali ecclesie traditione, potius quàm ex Noui vel Veteris testamenti auctoritate.* Idem sentit Panormitanus *in c. omnis. de poenit. & rem.* vbi explicat determinatione Concilij Lateranensis de necessitate confessionis. Quoniam verò hæc malè defenditur, nisi sit de iure diuino, laborant Scholastici, vt id alicunde eruant. Sed quid agant, vbi nec fidiculis aliquid extorquere possunt? Quare Scripturam non succurrere fatetur Gabriel ingenuè: *Finaliter dicendum,* 4. d. 17. q. 1. art. 1. G.



*dum, quòd præceptum de confessione sacramentali promulgatum est à Christo Apostolis. Et per ipsos Apostolos promulgatum est ecclesie verbo & facto sine omni scriptura. Bonaventura sic loquitur: Dominus non instituit in se: sed fuit à Domino insinuata; ab Apostolis instituta; ab episcopo Hierosolymitano Iacobo promulgata. Tridentini nihilominus anathema dicunt, si quis negauerit confessionem sacramentalem vel institutam vel ad salutem necessariam esse iure diuino.*

*LIX. Id autem c. s. collegere in hunc modum, quem retinet etiam Bellarminus, qui inquit: Iudicium sine cognitione causse ne quidem fingi potest. Quare si ex Euangelio probauero, Apostolos & eorum successores iudices à Domino in Ecclesia constitutos in causis pœnitentium, simul etiam probauero, iure diuino confessionem peccatorum in specie coram sacerdote esse faciendam. Tria sunt loca præcipua, ex quibus iudiciaria ista potestas demonstrari potest. Sunt autem illa, quæ nos suprâ recitauimus.*

*LX. Verùm quis est, qui vanitatem consequentiæ non intelligat? Et quis sit sensus suprâ ostendimus ex Lucâ. Alienum beneficium exsequuntur Ministri: non pro tribunali sedent aut iudicum officia peragunt. Refragatur pleno ore Paulus: Sic de nobis reputet homo, ut de ministris Christi, & dispensatoribus mysteriorum Dei. Quod superest requiritur in dispensatoribus ut quisq; fidus reperiatur. Quur si iudex est, ministrum non verò iudicem se dicit? præsertim quum ibi explicet, quo loco habendus sit ab auditoribus suis. Et subiungit: Nolite ante tempus iudicare usquedum veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Hoc tempus nolunt exspectare Pontificij, verùm sibi Dei partes sumunt, ipsiq; nihil relinquunt.*

*LXI. Omnium clarissimè, quæ suæ sint in hoc negocio partes, ostendit, & præterea Christi verba explicat 2. Cor. 5, 19. Deus nos sibi reconciliauit per Christum: & dedit nobis Agno-*

*uicias*



*ὡς τῆς κατὰ δαυὶδ ἀγῆς ministerium ( non iudicium ) reconciliationis.*  
Nempe quia Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non re-  
putans illis delicta ipsorum; posuit ἄ in nobis verbum reconciliatio-  
nis. Itaq; nomine Christi legatione fungimur &c. Hic Deus di-  
citur remittere peccata; Apostolos habere non nisi ministe-  
rium & verbum reconciliationis; nulla mentio iudiciariæ po-  
testatis.

LXII. Quod si adeò iudicium hinc debeat esse, vbi actor,  
vbi reus, vbi testes? Etenim sine his iudicium fingi nequit.  
An idem actor, reus & testis? Quod si dicant aliud esse iudi-  
cium hoc & differre à politicis; esto: atq; ideò agnoscant κα-  
τά γερον vocabuli, & desinant odiosi esse comparando ad illa,  
& exigendo vnum requisitum, quum plurium conuenienti-  
am dare non possint. Certè si iudices sunt, quur peccata re-  
mittunt? An non metuunt illud Prophetæ: *Va dicentibus* Ies. 5. 20.  
*malum bonum, & bonum malum.* Vel si peccata remittunt, quur  
iudicis sibi officium arrogat, cuius non est remittere, sed  
iuxta meritum plectere? *Medicina itaq; locus hic est non iudicij,*  
*non pœnas sed remissionem peccatorum tribuens.* Chrysostr. hom.  
9. de poenitentia.

LXIII. Porrò Christus ita vult vt procedant hac in re mi-  
nistri, prout ipse fecerat. Dicit enim: *sicut misit me Pater, ita*  
*& ego mitto vos.* At ille sine præmissâ particulari enumeratio-  
ne absoluit paralyticum *Matth. 9.* peccatricem *Luc. 7.* Zachæ-  
um *Luc. 19.*

LXIV. Satisfactionem nihil aliud esse dicit Bellarminus  
nisi actionem, quâ is qui alterum laesit, tantum facit, quantum satis lib. 4. c. 1.  
est ad iniuriam compensandam; siue quantum is qui laesus est iuste  
exigit. Scholastici ante Bellarminum definierunt redditi-  
onem voluntariam æquivalentis, aliàs indebiti. Bonaventura dicit:  
*Satisfactio debet respondere culpæ in numero, pondere, & mensurâ.* compend. Theol. ver. 1. 6. rub. 27.  
Nam secundum Mayronem *Si minus valeret, non esset satisfactio.*



4. dist. 16.  
q. 2. a. 1.

*factio, sed minusfactio.* Et Gabriel, *Aduerbiū SATIS* inquit, *importat equam correspondentiā eius quod redditur ad id, pro quo redditur, siue in beneficijs, siue in pœnis.* Ex quo sequitur, quòd minus reddens pro peccato, quàm iustitia diuina exigit, licet iniunctum à confessore impleat, non satisfacit, soluturus in futuro, quòd minus iniunctum est & solutum in presenti. Verùm Bellarminus aliquantum sanior factus duplicem satisfactionem constituit. Nam aliquando fit, inquit, ad absolutam & perfectam equalitatem; aliquando ad imperfectam. Totam autem controuersiam esse dicit, *utrum saltem imperfecta illa satisfactio, quæ acceptatione & donatione Dei nititur, locum habeat in Sacramento Pœnitentiæ.* Fatetur enim, quòd nisi aliqua acceptio aut donatio intercedat, nemo possit illi pro peccatis in eum admissis satisfacere.

LXV. Iam autem primò in genere notum est, de nullius acceptatione aut donatione constare posse, nisi constet de expressâ acceptatoris voluntate testatum facientis, quòd sic velit, iubeat.

LXVI. Deinde longè notissimum est, de Dei Opt. Max. voluntate non constare, nisi quantum ipse in S. Scripturâ patefecerit.

LXVII. Iam verò contendimus, ne Pontificij acceptationem aut donationem diuinam constituent, nullâ significatione voluntatis diuinæ fultam, qualem nec iura humana in negotijs ciuilibus admittunt.

LXVIII. Nam quoniam in sacris literis nullam expressam legimus vel minimam significationem diuinæ voluntatis talis, quòd opera nostra acceptare velit ita, ut iustitiæ suæ satisfaciant: meritò nos quoq; huiusmodi acceptationem tamquam Pontificium commentum reijcimus.

LXIX. Amplectimur autem aliam, testimonijs euidentibus nixam. Ipse enim filius hanc esse dicit voluntatem patris sui, *ut omnis qui videt filium, & credit in eum, non pereat, sed habeat*



beat vitam aeternam. Item: Credidit Abraham, & imputatum est ei ad iustitiam. Fides igitur est, quæ acceptatione & donatione Dei nititur, non satisfactio operum.

LXX. Pergit Bellarminus & docet satisfactione compensandam esse inequalitatem, quæ non solum iustitiæ sed etiam amicitiam contraria est. Et quidem pro amicitia reformanda non posse hominẽ Deo satisfacere; nam satisfactio acceptatione Dei necessario indiget; acceptatio autem amicitiam præsupponit. Iustitiæ tamen æqualitatem restaurari posse; adeoq; operibus laboriosis tum sponte assumendis tum per sacerdotes iniungendis iustitiæ satisfieri, & peccati pœnam redimi.

LXXI. Verùm vnde probabit Bellarminus, Deum gratis nobis amicitiam suam restituere, velle tamen, vt ipsi nos per opera nostra iustitiæ satisficiamus?

LXXII. Certè si peccatores omninò gratis in amicitiam reciperentur, fatin' salua foret iustitiæ? Nec enim vir bonus sceleratum amicitia suã dignatur nullo iustitiæ respectu habito. Et si gratis fieret, quorsum Mediator ille Dei & hominum vitam suam posuisset pro ouibus suis? Quamquam itaq; reconciliatio cum Deo gratis fit à parte nostri, non tamen gratis fit à parte Dei, qui merita filij sui nostrorum vice acceptat, nobisq; imputat.

LXXIII. Reconciliatio autem siue receptatio in amicitiam cum compensatione quæ iustitiæ fieri debet, ita cohæret, vt illa sine istã non fiat: imò contrã quàm Bellarminus vult, receptio in amicitiam præsupponit compensationẽ iustitiæ debitam, alioquin enim hæc violaretur. Idem igitur quod amicitiam restaurat, iustitiæ quoq; satisficiet; & quidem prius iustitiæ satisficiet, quàm nos reconciliari poterimus.

LXXIV. Et qualis sit reconciliatio aut amicitia, vbi reconciliatus & amicus ad pœnam adhuc obligetur? Exemplum proponit Bellarminus, in negotio aliquo ciuili; vt &



Compend. ante ipsum Bonaventura: *Sicut in bellis, inquit, restituta ami-*  
l. 6. rub. 27. *citiâ non statim remittitur debitum damni illati: ita post remissio-*  
*nem culpæ in contritione remanet debitum pœna satisfactoria.* Non  
dicam nunc quo iure isthæc huc trahantur. Hoc saltem dico,  
reconciliationem siue amicitiam illam initam habere respec-  
tum ad recompensationem faciendam, & illâ niti, adeò vt  
si recompensatio non fiat, aut fieri non possit, frustra quoq;  
facta sit reconciliatio.

LXXV. Idemné Bellarminus dicet de nostri cum Deo  
reconciliatione? Certè vel fatente ipso nemo potest Deo pro  
peccatis in eum admissis satisfacere. Numquam igitur vera  
inter Deum & nos reconciliatio erit.

LXXVI. Quod autem dicit, nos non pro culpâ sed pro  
pœnâ satisfacere, ne ipsi quidem in hoc cum reliquis suæ se-  
ctæ omnibus conueniet. Nec scio, an cum ipso concilio Tri-  
dentino, expressè docente *quòd dum satisfaciendo parimur pro*  
sess. 4. c. 8. *peccatis, Christo Iesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, conformes*  
can. 14. *efficiamur.* Item: *si quis dixerit, satisfactiones, quibus pœnitentes*  
*per Christum Iesum peccata redimunt &c.* sed quidquid sit nihil  
est nisi mera ἀκυελογία.

LXXVII. Nam pro culpâ primò & propiè satisfacere di-  
cimus, non pro pœnâ. Pœna enim debetur culpæ & est pro  
culpâ. Qui igitur satisfacit pro pœnâ, satisfacit pro culpâ.  
Vnde manifestum est, nihil hanc distinctionem aliud esse,  
quàm nebulam, quæ lucem verbi diuini tenebris inuoluat &  
meritum Christi obscuret.

LXXIIX. Quam autem pœnam Iustitia diuina pro pec-  
catis exigat euidentis est ex hoc Deuteronomij: *Maledictus o-*  
*mnis, qui non seruauerit, quæcunq; scripta sunt in libro legis, ut fa-*  
*ciat ea.* Si igitur pœnis satisfaciendum est, non tantum tem-  
poralibus, sed & æternis pœnis satisfaciendum erit. Si pro  
pœnis satisfaciendum, non pro temporalibus tantum, sed  
pro



pro æternis etiam satisfaciendum erit. Hæ enim iunctim debentur peccatis. Vnde verò nobis probabit Bellarminus separationem, quarum, qualem & quantam ille suo sibi pro lubitu fingit? Audiamus ipsum: *Pæna illa, inquit, quæ luenda restat, post culpæ remissionem est illa ipsa pæna sensus, quam in gehennâ pari debuisset peccator remotâ solum æternitate. Tria enim complectitur pæna gehennæ: pœnam damni, pœnam sensus, & utriusq; æternitatem. Ex his autem tribus malis, quæ sunt in gehennâ; à primo & tertio liberantur continuò, qui ad amicitiam Dei & eius gratiam redeunt: Solum autem remanet malum illud secundum, debitum videlicet pœnæ sensus ad tempus luenda.*

LXXIX. Credo Bellarminum quoq; interdum sui obliuisci. Nam quod dicit continuò liberari à pœnâ damni, qui ad gratiam Dei redeunt planè est contra ipsum. Destruit enim ipsius sententiam & purgatorium, in quo iuxta delirium Pontificiorum luitur pœna non sensus tantùm, sed damni etiam. Quòd autem per pœnam sensus ad tempus luendam intelligat pœnas purgatorij, liquet etiam ex sequentibus: *Postquam, inquit, demonstratum fuerit, posse pœnam illam temporalem futuræ vitæ, quæ propriè debetur peccato per opera laboriosa huius vitæ redimi &c.*

XXC. Sed vt antè dixi, abundè Bellarminum redarguit qui vrget ipsum, vt hæc sua tam bella commenta probet, non ratiunculâ aliquâ è proprio cerebro depromptâ, aut analogiâ iudiciorum ciuiliū, quamquam & hæc ei hoc loci non subueniet; sed liquido & perspicuo verbo diuino. Hoc autem manifestè ipsi contradicit, dum docet *Agnum Dei tollere peccata mundi.* Et Iesaias de pœnâ expressè: *Castigatio super eum,* c. 53, v. 5. *vt nos pacem haberemus.* Item: *Torcular calcavi solus,* & de gentibus non est vir mecum. 63. 3. Paulus: *Chirographon,* (hoc autem continetur vniuersum debitum) Colof. 2, 14. *quod erat contra nos tulit è medio, & adfixit cruci.*



XXCI. Et quoniam meritis est Christus, non agendo tantum, sed etiam patiendo, manifestum est satisfacisse ipsum non pro culpa tantum, sed pro poenis etiam quibuscumque. Acerbissimas enim ipsamque adeo mortem pertulit.

1.2. de in-  
dulg. c. 11.

XXCII. Sed quid laboremus? Veritas ipsa Bellarmino expressit hæc verba: *Merita Christi sunt res viuae & sacra, sed non solum iustificanti corda, verum etiam satisfactoria sunt pro reatu poenae tum sempiternae, tum temporariae.* Iam verò, quæ sit ratio, quur poenitenti meritum Christi adplicetur quæ satisfactorium pro poenâ æternâ, non autem quæ satisfactorium pro temporali? Nulla certè reddi potest, nec vnâ litterulâ sacrae scripturae hoc figmentum adstrui: immò fides meritum Christi totum & indiuisum adprehendit, non distractum. Totum itaque credenti imputatur siue adplicatur.

2. Cor. 5, 2.

XXCIII. Deinde vbi nulla culpa, ibi nulla poena. Sed in iustificatione nostrâ tam longè à nobis remouentur nostræ culpæ, quàm oriens ab occidente, *Psal. 103, 12.* Proijciuntur in profundum maris, *Mich. 7, 19.* E. quoque poenæ eodem relegantur. Et quoniam in conspectu Dei non nudi sed meritis Christi, superinduti inuenimur, sancti & immaculati, quare poenis nos afficiet, qui tales facit & inuenit? Porro qui peccata punit, peccata imputat. Deus eius, cui remissionem impertit, peccata non imputat *Psal. 23, 2.* E. Deus, cui remissionem impertit, peccata non punit. Qui peccata punit, peccatorum recordatur. Deus peccatorum poenitentis non recordatur *Iezech. 18, 22. Ierem. 31, 34.* E. Deus peccata poenitentis non punit. Deinde, Vbi sublata est ira & indignatio, ibi quoque poena quæ ab irato & indignante infligi solet, tollitur. At per Christum liberati sumus ab irâ diuinâ.

XXCIV. Coloss. 3, 13. dicit Paulus: Condonate vobis mutuò, si quis aduersus aliquem habuerit querelam, *καὶ ἄλλος ὁ ἕως ἐχαρίσατο ὑμῖν, ἕτω καὶ ὑμῖς.* Condonabimus itaque nobis mu-



bis mutuò iuxta Bellarminum, ita ut culpæ quidem gratiam faciamus, pro iniuriâ tamen satisfieri velimus, & animum vindictæ cupidum retineamus.

XXCV. *Estote misericordes, inquit Christus, sicut & Pater* Luc. 6, 36. *vester misericors est.* At Pater noster ita misericors est, ut culpam quidem condonet, poenas tamen exigat tum huius vitæ tum alterius exquisitissimas, nihilo mitiores poenis inferni. Ergo nos quoq; eodem modo misericordes erimus.

XXCVI. Abundè iam constare arbitror, figmentum esse hanc culpæ à poenâ separationem, ut scilicet culpa quidem condonetur, poena autem retineatur, quæ vel sustinenda sit vel pro eâ satisfaciendum. Egregia verò condonatio! Quasi iudex furi diceret: culpam tibi ex commiseratione clementer remitto, sed tamen hodiè suspenderis.

XXCVII. Demum Meritum Christi aut sufficiens est satisfactio pro culpâ & pro poenâ, aut insufficiens. Illud concedit Bellarminus, hoc enim dicere non potest absq; manifestâ blasphemiam. At si nos post sufficientem satisfactionem adhuc satisfaciamus, inanis & inutilis erit satisfactio aut prior, aut posterior. Quinimò iniustus erit Deus. Semel enim sufficienter & abundanter satisfactum. Si à nobis iterum satisfieri velit, bis in idem vindicabit, & similis erit tyranno.

XXCVIII. In capite quidem proximè subsequente probare conatur Bellarminus, quod sæpe remissâ culpâ maneat l. 4. c. 2. debitum luendæ poenæ; & probat de poenis huius vitæ, quas non ex condigno sed solùm ex congruo à Deo certis peccatis infligi dicit.

XXCIX. Nempe excogitanda fuit aliqua techna, per quam poenæ etiam huius vitæ in theatrum producerentur. Nam superiore capite ex Caietano dixerat: *Pœna illa, que luenda restat post culpæ remissionem, est illa ipsa pœna sensus, quam in gehennâ pari debuisset peccator, remotâ solùm eternitate.* Quæ-

D d

reret



reret aliquis non immeritò, an igitur poena huius vitæ sit poena gehennæ?

XC. Quæ autem secundo hoc capite adducit Bellarminus omnia laborant fallaciâ secundum non causam vt causam. Adfliguntur enim pij, non vt afflictionibus istis iustitiæ diuinæ satisfiat, & poenæ peccatorum luantur, nam hoc præstitum est passionibus & satisfactionibus Iesu Christi, verum ob causas longè alias.

XCI. Primò quidem vt ipsi de magnitudine diuinæ iræ & suorum peccatorum commonefiant, in posterum cautiùs mercari discant, ad arduas preces & desiderium futuræ vitæ incitentur. Deinde vt alij etiam pij erudiantur, suamq; conditionem agnoscant. Tertiò ne qui foris sunt occasionem calumniandi arripiant, quasi impunè liceat peccare ijs, qui sunt in Ecclesiâ. Expressè hoc Dauidi indicatur: *Quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini &c.* Neq; non tales cum animo suo reputent, *εἰ ἐν τῷ ὑγρῷ ζύλω ταύτῃ ποιῶσιν, ἐν τῷ ζηρῷ τί γένηται;* Item: *Quis erit finis eorum, qui non obediunt Evangelio Dei?*

Luc. 23. 31.  
1. Pet. 4. 17.

XCII. Obseruandum autem hîc est Poenam esse duplicem, & vnâ propriè & simpliciter esse ac dici poenam; alteram impropiè & æquiuocè, propter similitudinem quamdam, quam habet ad priorem.

Ex. 21, 24.  
Leu. 24, 20.  
Deut. 19, 21.

XCIII. Prioris generis poena imponitur in foro iudiciali ab actu iustitiæ distributiue secundum proportionem, vt inter culpam & poenam æqua sit proportio: ita præcipit Deus vt in iudicijs ciuilibus oculus rependatur pro oculo, manus pro manu, pes pro pede, dens pro dente. Ita ipse Deus exigit poenam à filio suo, qui in se receperat peccata omnium nostrû. Ita exigit ab impijs & incredulis, & exiget in vitâ futurâ.

XCIV. Posterioris generis poena imponitur ab actu providentiæ ob causas paullò ante commemoratas. Dixi au-

tem



tem poenam esse & dici æquiuocè, propter similitudinem ad veram poenam. Conuenit enim in materiali. Nam sicuti hæc adflictio est, & ægrè facit carni: ita & illa. Vtraq; etiam ad culpam respectum habet; sed hæc ad eam vt vindicandam: illa vt emendandam. Differt itaq; ratione formalis, efficien- tis quoq; & finis. Non enim infligitur secundum proportio- nem ab actu iustitiæ, ideo vt sit poena, siue vt peccatum vin- dicet aut pro eo iustitiæ satisfaciat.

XCV. Vnde manifestum est, huiusmodi poenam impro- priè poenam dici, neq; iudiciariam, sed paternam esse, a deo- que rectius Castigationem nominari. Nam Deus pater no- ster est, seq; patrem nostrum ipse non vno in loco adpellat. *Sic- ut igitur pater miseretur liberorum, ita Dominus miseretur timen- tium eum.* Et sicut pater castigat delicta liberorum, non vt delicta ad iustitiæ lancem adpena vindicet, sed vt liberos ad virtutem adsuefaciat, cautioresq; & moratiores reddat: e- undem ad modum statuendum erit de patre Opt. Max. eius- que in filios suos adfectu. Psal. 103, 13.

XCVI. Bellarminus ipse sic scribit: *Non semper tribulatio huius vite est purgatoria. Nam multi iusti adfliguntur, non vt pur- gentur: (purgari hic est Bellarmino poenas pro peccatis luere, sic enim ille accipit purgatorium) sed vt exerceantur & pro- bentur, iuxta illud Eccles. 27. vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.* lib. 1. de Pur- gat. c. 1.

XCVII. Porro notandum est ad poenas impropiè dictas pertinere Morbos & Mortem toti humano generi commu- nes. Consequuntur enim naturam vt talem, & ad bruta quo- que spectant. Quamquam venire possint nomine poenæ et- iam propriè dictæ, si morbi sint præter naturam, & mors præ- ceptus aut violenta.

XCVIII. Postquam probare conatus est Bellarm. *cap. 2,* suam illam poenæ & culpæ disiunctionem, pergit *cap. 3. osten- dere,*



dere, quòd bonis operibus pro reatu poenæ satisfieri possit, & ait hoc in scripturis tam euidens esse, vt mirum sit ab vllò negari potuisse. Mirum autem est Bellarminum tam inualidas consequentias texere. Deprecati sunt. E. iustitiæ pro poenis satisfecerunt. Et quis non rideret ita arguentem: Filius enormiter peccauit in parentem: deprecatus autem est, promisit emendationem, & eius etiam specimen quoddam dedit. E. iustitiæ pro delicto satisfecit?

XCIX. At contra. Quod imperfectum est, non potest vllò modo satisfacere perfectissimæ iustitiæ diuinæ. Sed opera nostra sunt imperfecta, & contaminata per adhaerentiam peccati, & comitantem spiritus & carnis luctam. Deinde vnus est Mediator inter Deum & homines, ad cuius officium hoc spectat, vt pro peccatis satisfaciat. Qui igitur pro peccatis satisfacere conatur, sibimetipsi Mediatoris partes arrogat & in vnicum illum iniurius est.

1. Tim. 2, 5.

C. Pergit autem Bellarminus, & docet, opera, quibus reatus peccati præteriti expiatur, sponte suscipi posse, *cap. 4;* rectè etiam à sacerdotibus iniungi *cap. 5.* Et quidem, quum hoc propriè Pœnitentiam spectet, adeo vt pars eius sit, necesse est fundamentum habeat in sacris & iure diuino. Dicit autem: *verba illa Domini* (sub initium recitauimus) *satis apertè hoc docent.* Eadem scilicet firmitate & euidentiâ consequentiæ, quâ superiore libro confessionem demonstrabat, & actum iudiciarium deducebat.

CI. Sed lubens cognoscerem, quum verbis istis iudicium constituatur, & quidem adeò exactum, vt iudicem omnia delicta & omnes omnium circumstantias discretè intelligere oporteat; in quo tamen foro & coram quibus iudicibus culpa remittatur, remittatur etiam potissimum poenæ, residuum verò conuertatur in orationem, ieiunium & eleemosynam? Iudicium igitur ibi non exerceri vel ipsi concedant; & exactam  
adeò



adeò confessionem ad Pontificiam huiusmodi operum impositionem non requiri res ipsa testetur.

CII. Sed his relictis manifestum est ex verbis & antè nos ostendimus institutam esse remissionem peccatorum, non persolutionem, vt requiratur satisfactio. Et remissionem non imperfectam, absit enim id, quòd vergent in ignominiã Institutoris; sed perfectam. Remittetur itaq; quidquid nomine peccati includitur, nimirum reatus & culpæ & poenæ.

CIII. Iuxta Pontificios remittere peccata, significat remittere & retinere; soluere significat soluere & ligare: qualis expositio communi sensui & expressis verbis repugnat. Sunt enim satis manifesta; *Quorumcunq; remiseritis peccata, remittuntur eis, quorumcunq; retinueritis, retenta sunt.* Nimirum quibus remittuntur peccata, ijs plenè & perfectè remittuntur.

CIV. Postremò si iustitiæ diuinæ temporali poenâ, & hac vicissim operibus à sacerdote iniunctis satisfieri potest, vnde sunt afflictiones, quibus pij præ cæteris plerumq; subijciuntur? certè satisfactio, si vera sunt quæ tradunt Pontificij, poenas & afflictiones tollet. Aut si non tollit, nullius erit momenti, sed merum figmentum. Neq; enim Deus iniustus est, aut tyrannus, vt pro quibus satisfactum sit, iterum vindicet. Claves itaq; vel experienciã teste poenas temporales nec tollere possunt nec imponere: Sed hoc pro arbitrio DEVS secundum bonum consilium & prouidentiam suam præstat; impios quidem verè puniendo, suos autem filios paternè corripiendo & castigando.

CV. Et si licet Pontificijs vice poenarũ temporalium alioquin peccatis debitarum opera sua poenalia iniungere, quur non fures & latrones à supplicijs absoluunt, & dimissã culpã pro poenis orare, ieiunare & eleemosynas dare iubent? Quur non morbos ipsamq; adeo mortem abrogant? Quod si iudicio



dicio & sententiæ civilis Magistratus præiudicare nolunt, e-  
amq; pervertere aut euertere nec possunt nec debent; quam  
sibi quæso licentiam arrogant, potestatemq; sumunt in mu-  
tandis & abrogandis iudicijs Dei? quæ alias imperscrutabi-  
lia dicuntur, & viæ eius imperuestigabiles *Rom. 11. 33.*

de Indulg.  
l. 2. c. 1.

CVI. Considerentur hæc quæ scribit Bellarminus: *Si non potest Indulgentia tollere pœnam, quæ Prætor aliquem mulctauit ob furtum vel homicidium, quanto minus tollere poterit eam, quam Deus alicui decreuit? Quam igitur pœnam, inquit tollit Indulgentia? Illam quæ in foro pœnitentiario infligitur.* Egregiam Indulgentiam quæ tollit orationem, ieiunia & eleemosynas! Sed ad rem. Indulgentia non tollit pœnas diuinitus immis-  
sas. E. nec satisfactio. Nam Indulgentia tollit ipsam satisfa-  
ctionem; Satisfactio autem includit & præsupponit reatum  
& pœnas. Quod igitur has non tollit, nec illam tollit. Quod  
has relinquit, & illam relinquit. Deducitur itaq; Indul-  
gentiam tollere pœnas, si tollat satisfactio: Aut ex hypothe-  
si Bellarmini, quum non tollat Indulgentia, nec satisfactio-  
nem eas tollere. Adde quòd Indulgentia non concedatur  
nisi à Pontifice & Prælatis: Satisfactio autem à quolibet sa-  
cerdote imponatur.

CVII. Quamquam itaq; poneretur hæc hypothesis, post  
dimissam scilicet culpam remanere pœnas propriè dictas:  
nihil tamen ea patrocinaretur causæ Pontificiæ.

Promptum enim foret ostendere, has  
ipsas clauibus neutiquam  
subesse.



Disputatio 9. Sayth  
versus 10. folijs.





## DISPUTATIO IX.

DE SACRAMENTIS IN  
GENERE.

Resp. HENRICO BIERSVALEN Laffurdensi.

## THESIS I.



Sacramentum vocabulum est Latinum, de quo Varro in hunc modum: *Ea pecunia qua in iudicium venit in litibus, Sacramentum à sacro: & qui aiebat & qui inficiabatur, uterq; quingentos aris ad pontem deponebant: de alijs rebus item certo alio legitimo numero assium. Qui iudicio vicerat, suum sacramentum à sacro auferebat, victi ad ararium redibat.* Huc etiam spectare videtur Festus, cum ait: *Sacramentum as significat, quod pœna nomine penditur, siue eo quis interrogatur, siue contenditur. Id in alijs rebus quinquaginta assium est, in alijs rebus quingentorum inter eos, qui iudicio inter se contenderent.* Atq; hinc formula: *Sacramento quinquagenario contendere.*

l. 4. de ling.  
lat. circa  
fin.

II. Idem Festus, *Sacramentum*, inquit, dicitur, quod iurandi sacratione interposita actum est, unde quis sacramento dicitur interrogari, quia iusiurandum interponitur. In hac itaq; significatione idem erit Sacramentum, quod iuramentum: unde Sacramentum militare, de quo Vegetius: *Milites iurare solent, & ideo militia sacramenta dicuntur. Iurant autem se omnia strenuè facturos; quæ præceperit Imperator, numquam deserturos militiam, nec mortem recusaturos pro Romanâ Repub.*

l. 2. c. 5.

III. Festus adhuc aliam significationem innuit, ubi docet, *Sacramenti nomine id as dici ceptum esse, quod & propter ara-*

E e

rij in-



ri inopiam, & sacrorum publicorum multitudinem, consumebatur  
in rebus diuinis.

IV. In scripturis non reperitur, nisi quod vulgata versio,  
vbi in græco est *μυστήριον* aliquando mysterium habet, ali-  
quando sacramentum. Eph. 3, 3. *Secundum reuelationem notum*  
*mibi factum est sacramentum, sicut supra scripsi in breui: prout po-*  
*testis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi. I-*  
*tem v. 9. & illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti ab-*  
*scconditi à seculis in Deo, qui omnia creauit.* In græco vbiq; est *μυσ-*  
*τήριον*. Vt in Apocalypsi quoq;: *Ego dicam tibi sacramentum mu-*  
Apoc. 17, 7. *lieris, & bestie quæ portat eam, quæ habet capita septem & cornua*  
*decem.*

V. *Μυστήριον* ( *ὑπὸ τῷ μύθῳ*, doceo quæ ad res sacras perti-  
nent, sacris initio ) denotat omne id quod arcanum & secre-  
tum est, nec nisi initiatis communicari fas est. Hebræis *סוד*  
*Psal. 25, 14. Paulus 1. Cor. 13, 2. Si nouerim mysteria omnia.*

VI. In N. Testamento *μυστήριον* præcipuè significat propo-  
situm & voluntatem Dei de redimendis hominibus per Chri-  
stum; item totam doctrinam, quæ hanc Dei voluntatem hu-  
mano generi proponit & exponit. Nam quoniam animalis  
1. Cor. 2, 14. homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, nisi ista diuini-  
tùs reuelata fuissent, à nemine explorari potuissent; quibusq;  
reuelata doctrina non innotuit, incognita ista manent &  
abscondita. Ita dicitur *mysterium temporibus æternis taci-*  
*tum. Rom. 16, 25. mysterium absconditum à seculis & à genera-*  
*tionibus, nunc autem manifestatum sanctis eius. Col. 1, 26. I-*  
*tem mysterium voluntatis diuinæ, Eph. 1, 9. regni cœlorum.*  
*Matth. 13, 11, regni Dei, Marci 4, 11. Mysterium Dei, 1. Cor. 4, 1.*  
*Coloss. 2, 2. Christi. Eph. 3, 4. Coloss. 4, 3. Euangelij, Eph. 6, 19. fidei,*  
*1. Tim. 3, 9.*

VII. Significat deinde rei sacræ cuiuscumq; arcana & in-  
sensibilis figurationem per rem externam sensibus subiectam.  
Ita



Ita coniunctio Christi cum Ecclesiâ, illius in hanc amor & huius vicissim erga illum obedientia typicè in carnali matrimonio adumbrata Paulo *μυστήριον μέγα*, vt vetus versio habet, sacramentum magnum vocatur. *Eph. 5, 32.*

**IIX.** Hæc significatio latissima est, secundum quam omnes V. Testamenti typi & figuræ mysteria, neq; non sacramenta adpellari possent, siquidem hæc duo Latinis æquiuale-  
re dicantur. Sic Isidorus, *Sacramentum est*, inquit, *in aliquâ celebratione, cum res gesta ita sit, vt aliquid significare intelligatur.* Orig. l. 6, c. 19.  
Atq; hoc sensu Sacramenti vocabulo vsi sunt Patres, vt quæuis signa rem sacram denotantia siue à Deo mandata siue à viris ecclesiasticis excogitata sacramenti nomine indigebant. *Nimis longum est*, ait Augustinus, *conuenienter disputare de varietate signorum, quæ cum ad res diuinas perinent, Sacramenta adpellantur.* Ep. 5. ad Marcellin.  
Vnde ipse signum crucis, in *Psal. 141*; panem S. Eucharistiæ vicarium, quem accipiebant catechumeni, *l. 2. de pecc. mer. & remiss. c. 26*; omnia quæ agebantur circa catechumenos, exorcismos, orationes, cantica spiritualia, insufflationes &c. *l. 4. de Symb. ad catech. c. 1.* sacramenti nomine dignatur.

**IX.** Sstrictior itaq; significatio est, & hodiè in Ecclesiâ receptior, quâ Sacramentum dicimus actionem à Deo institutam, quæ adplicat certo ritu externum & visibile signum, & habet adnexam promissionem, per eam tamquam diuinum instrumentum fidem & gratiam regenerationis adoptionis-que vel conferri; vel confirmari & obsignari.

**X.** Sacramenta duplicia sunt. Veteris & Noui Testamenti. Et illa quidem, sicut ante natum Messiam vt ad eius aduentum durarent, instituta erant, sic quoq; fidem in venturum Messiam & per illam fidem remissionem peccatorum & *εὐδοκίας* conferebant aut confirmabant: ista verò meritum Christi iam præstitum per fidem adplicant & obsignant.



XI. Sacramenta V. Testamenti duo sunt, Circumcisio & Agnus Paschalis.

Gen. 17,9.

XII. Circumcisio instituitur à Deo Opt. Max. anno à condito mundo 2047. Sic ille ad Abrahamum: *Et tu pactum meum custodies, tu & semen tuum post te in generationes suas. Hoc pactum meum quod custodietis inter me & inter vos, & inter semen tuum post te, ut circumcidatur in vobis omnis masculus. Et circumcidetis carnem præputij vestri: & erit in signum fœderis inter me & inter vos. Et filius octo dierum circumcidetur vobis omnis masculus in generationes vestras. Et masculus præputiatus, cuius non circumcidetur caro præputij eius, excidetur anima illa de populis suis, quia fœdus meum irritum fecit.*

XIII. Comestio Agni Paschalis, quæ & פסח ליהוה *Transitus Domino* dicta instituitur sub exitum Israëlitarum ex Aegypto, anno mundi 2453. Vide Exodi cap. 12. Præputiato non licebat hac frui, sed circumcidi oportebat, priusquam admitti posset.

XIV. Sacramenta N. Testamenti itidem duo sunt, Baptismus & Sacra Coena. Et ille quidem successit in locum Circumcisionis: vnde Paulus *Coloss. 2, 11.* permutatis vocabulis Circumcisionis & Baptismi significat, nos qui in N. Testamento per baptismum habemus exspoliationem corporis peccatorum carnis, accepisse & habere idem, quod circumcisi in V. Testamento per circumcisionem acceperunt. Sicut enim circumcisio fuit sigillum iustitiæ fidei *Rom. 4, 11*: ita baptismus est stipulatio bonæ conscientiae in Deum, *1. Pet. 3, 21.* Et sicut Deus excidium minatur incircumciso: sic Christus negat introitum in regnum Dei, qui ex aquâ & spiritu renatus non fuerit, *Ioan. 3, 5.*

Ex. 12, 46.  
c. 19, v. 36.

XV. Sacra coena locum Agni Paschalis occupavit. Is enim agnus fuit figura Christi, pro peccatis nostris immolati. Vnde quod de isto scriptum est: *Os non comminuetis in eo; Ioannes*

annes



annes de Christo scriptum adseuerat. Et Paulus: *Paschano-*<sup>1. Cor. 5, 7.</sup>  
*strum pro nobis immolatus est Christus*; qui propterea quoq; Ag-  
nus Dei in scripturis dicitur. Sicut itaq; per esum agni Pa-  
schalis commonefiebant Iudæi de Dei erga se clementiâ, cum  
mirabili ex Aegypto liberatione, tum protectione à furore  
cuncta primogenita interimentis; typicè verò de liberatione  
à iugo seruitutis spiritalis, reconciliatione cum Deo & irâ di-  
uinâ placatâ per mortem quam subiturus erat Agnus Dei,  
uenturus Messias, tam certò, quàm certè & verè illi tunc a-  
gnum comederent, vt ita fides in Messiam nutriretur & stabi-  
liretur: sic nos quoq; in sacrâ coenâ memoriam passionis &  
mortis Christi celebramus, adeoq; ex ipsius institutione cor-  
pus quod pro nobis in arâ crucis obtulit, & sanguinem, quem  
in remissionem peccatorum fudit, accipimus, edimus, bibi-  
mus, vt ita firmetur & augetur fides nostra, quæ iam non,  
quod aliquando venturus præstabit, sed meritum quod præ-  
stitit, adeoq; Christum ipsum totum, cominus præsentem  
adprehendit.

XVI. Sed de utroq; Noui foederis sacramento separa-  
tim agemus, & quæ eò spectant, pluribus disputabimus. Nunc  
hoc nobis agendum erit, vt hunc binarium rectè à nobis con-  
stitutum esse ostendamus. Pontificij enim quinque addunt, &  
vsq; ad septenarium procedunt.

XVII. Quoniam autem nusquam, quid Sacramentum  
sit, in sacris literis exprimitur; neq; verò ipsum nomen habe-  
tur; neq; Baptismus neq; Eucharistia, (de quibus tamen ne-  
mo, quin sacramenta noui foederis rectè dicantur, ambigit,)  
communi aliquo titulo insigniuntur, propterea de alio prin-  
cipio nobis circumspectandum erit, vt numerum Sacramen-  
torum constituere & defendere possimus.

XIX. Adsumemus itaq; ea duo, quæ indubitatò sacra-  
menta sunt, & considerabimus quid illis, quatenus sacramen-



tis competat; deinde ad hæc cætera quæ sacramenti speciem referre possent, comparabimus & examinabimus. Nam si sacramenta fuerint, necessariò in sacramentalibus rationibus & proprietatibus cum Baptismo & Eucharistiâ convenient.

XIX. Hæc itaq; I. instituta sunt in N. Testamento. Nam si sunt sacramenta noui foederis, à nouo quoq; testamento ortum sumsisse eiusq; tempore instituta esse oportet. II. Auctor eorum non est alius, nisi ipse Deus & Dominus I. Christus. Neq; enim hominibus Sacramenta condere licet; neq; hi efficaciam impertiri possunt. Rectè itaq; Thomas: *Ex institutione efficaciam habent, quæ eis non nisi diuinitus inest.* Et hoc adeò verum est, vt Bellarminus integrum caput impenderit huic adsertioni probandæ: *Auctorem Sacramentorum solum esse Christum.* Tridentini verò dicunt: *Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis non esse omnia à I. Christo, Domino nostro instituta, anathema sit.* III. Ita instituit, vt sensibilia quædam signa siue elementa sensibili & visibili ritu tractari voluerit; qualis actio apta sit ad significandam diuinam efficaciam & gratiam, quæ per ipsum sacramentum operatur & exhibet. Vnde Isidorum dixisse suprâ monuimus Sacramentum esse, cum res ita geritur, vt aliquid significare intelligatur; & Augustinus docet *verba visibilia esse*; item: *Si Sacramenta quamdam similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent.* Sic ablutio per aquam in Baptismo ablutionem peccatorum per sanguinem Filij Dei; panis & vini sumtio in Eucharistiâ nutritionem & refectionem, quam corpus & sanguis Christi nobis præstat, figurant. IV. Adidit huic ritui promissionem, quòd per eum velit efficax esse, & bona cœlestia vel conferre, vel collata obsignare: nempe quum non sit aliud à parte nostri, quo tantorum bonorum participes reddamur, gratiamq; regenerationis & iustificatio-

Supplem. q.  
29. art. 3.

de Sacram.  
l. 1. c. 25.  
sess. 7. can. 1.

cont. Fau-  
stum. l. 19.  
c. 16.  
Ep. 23.



cationis acceptemus nisi vnica fides; fidem ille per baptis-  
mum donat, per sanctam coenam confirmat, vt ita regeneremur & in spem vitæ æternæ sustentemur, quam certò polliceri nobis possumus, qui scimus Deum nos in gratiam recepisse, foedus nobiscum pepigisse, huiusq; signa infallibilia dedisse. V. Promissiones istæ non sunt generales, sed in specie singulos respiciunt, ita vt per ea ipsis illis, qui sacramentis secundum institutionem vtuntur, diuina gratia significetur, adplicetur, obfignetur. VI. Instituta sunt, non habitura finem aut amissura suam efficaciam, antequam mundus finem habeat.

XX. Hæ sex conditiones, & proprietates, vt patet, in Baptismo & Eucharistiâ ratione sacramenti inueniuntur. Vbi igitur harum vna aut plures defuerint, ibi negandum erit Sacramentum N. Testamenti esse, verum & germanum, quale est Baptismus & Eucharistia.

XXI. Quinque igitur illa, quæ præter hæc Pontificij sine villo vel scripturæ vel antiquitatis suffragio obtrudunt, quoniam hisce conditionibus destituuntur, nos propriè pro sacramentis habere non possumus. Sunt autem: Confirmatio, Ordo, Poenitentia, Extrema vñctio, Matrimonium. Anathema Tridentini paratum habent, *si quis dixerit aliquod horum* sess. 7. can. 1. *non esse verè & propriè sacramentum.* Quare singula partitè lustrabimus, & ad notas sacramentales examinabimus.

XXII. CONFIRMATIO est ritus apud Pontificios, quo baptizatorum infantum frontes per Episcopos aut eorum suffraganeos chrismate, (quod est oleum oliuæ, balsamo mistum, & ab Episcopo precibus, signo crucis, inhalatione & salutatione consecratum) illinuntur ad figuram crucis, manusq; imponuntur, & pronunciantur hæc verba: *Signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis in nomine P. F. & S. S.* Reliquas ceremonias vide apud Bellar. *de confirmat. cap. vlt.* Docet autem *cap. 17.* de effectu, *quòd gratiam conferat gratum facientem, & quidem*  
maior.



maiores, quam ipse baptismus in ordine ad roborandam animam  
contra Diaboli imperus.

Act. 8, 17.  
19, 6.

XXIII. Hanc actionem quia caret instituto, verbo & promissionibus diuinis, imò etiam exemplo, in omnibus requisitis sacramentalibus deficere manifestum est. Erat quidem in primitiuâ ecclesiâ promissio de effusione visibilium donorum Spiritus sancti super credentes, quam Apostoli impetrabant orantes super eos & adhibentes ritum impositionis manuum, qui quidem non erat mandatus, sed vsitatus tum temporis, vt etiam hodie, vbi maximè seridò & cum vehementi quâdam animi intentione res peragenda. Sic orat Iairus Christum, vt super filiam manus ponat. *Matth. 9, 18. Marc. 5, 23.* Oblati sunt ei paruuli, vt manus imponeret eis. *Matth. 19, 13. Marc. 10, 16.* Infirmos impositis manibus curauit. *Marc. 6, 5.* Orant vt surdo & muto imponat manum. *7, 32.* Coeco imposuit manus. *8, 23.* Super ægros manus ponent, & benè habebunt, *16, 18.* Ananias imposuit Saulo manus *Act. 9, 17.* Ieiunantes & orantes & imponentes manus Saulo & Barnabæ dimitunt eos. *13, 3.* Cùm Paulus illis manus imposuisset, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant. *19, 6.* En efficaciam! Verùm hæc fuere, & desijt ista efficacia, vt hic ritus, quidquid sit de mandato, non possit haberi pro sacramento. Et Pontificij, quia totum immutârunt, nec exemplum poterunt obtendere.

XXIV. Ipsi Pontificij doctores hoc cognouerunt, quibus fatentibus non est à Christo institutum hoc sacramentum. Alexander Alensis *part. 4. quest. 24. memb. 1.* Sine præiudicio, inquit, dicendum, quod neq; Dominus hoc sacramentum instituit, neq; dispensauit, neq; Apostoli: sed institutum est in Concilio Meldensi. Idem sentit Bonaventura *4. dist. 7. art. 1. quest. 1.* Petrus de Alliaco *in 4. sent. quest. 4. art. 1. D. ait:* Supponitur sic institutum fuisse à Christo, & Apostolos sic vsos fuisse, licet hoc non legatur in scripturâ. Ipsa



ra. Ipse Gregorius de Valentiâ : *Ceremoniam confirmationis esse verum sacramentum, probamus ex aliquot scriptura testimonijs ita intellectis, sicut exposuit traditio ecclesiastica.* Tomo. 4. in Thom. disp. 5. q. 1. p. 1.

XXV. ORDINATIO siue legitima ad ministerium Evangelij vocatio, & publica eius vocationis declaratio mandatum habet, habet quoq; promissionem, quòd Deus largiri velit dona & vires obeundo huic muneri necessarias, & quòd per id efficax velit esse ad salutem omni credenti. Verùm non habet ex mandato diuino signum quoddam externum, externis ritibus adhibendum; neq; habet promissionem de salute ordinati, sed potius quum ipse possit esse reprobus, de efficaciâ ministerij eius in alijs.

XXVI. Vulgò septem ordines numerant Pontificij, Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, Acoluthorum, Exorcistarum, Lectorum & Ostiariorum; quorum tres priores vocant maiores, reliquos minores. Verùm ipsi miserè inter se conueniunt. Canonistæ addunt Primam tonsuram & Episcopatum. Et certè ipse Bellarminus docet sacerdotes aliosesse maiores, id est Episcopos, alios minores, id est, Presbyteros: & illos ex suâ ordinatione accipere nouam spiritualem potestatem conferendi Confirmationem & Ordines sacros, & nouum characterem diuersum à Presbyteris, vnde deducitur distinctum etiam esse ordinem. Alij adhuc addunt ordinem Psalmistarum, quem vnà cum Episcopatu inter ordines connumerat Dionysius, (quisquis tandem ille) *de Ecclesiasticâ hierarchiâ*, & Isidorus *lib. 7. Etymolog.* & ex hisce Fr. Mayronis *4. dist. 24. quest. 2.* de ord. c. 3.

XXVII. Sed quidquid sit de numero, alia hîc maior surgit quæstio. Certissimum est de fide Pontificiorum, *ordinem esse sacramentum*: nam hoc determinatum est in Conciljs Florentino & Tridentino. Sed quum ea indefinitè loquantur, dubitant vel ignorant, num vnus aut aliqui aut omnes (sin-

Ff

gulis



gulis enim hisce modis vera est indefinita propositio ) ratio-  
nem sacramenti participant. Durandus olim solum ordi-  
nem sacerdotij sacramentum esse voluit, 4. dist. 24. q. 2. In quâ  
etiam sententiâ videtur esse Caietanus tom. 1. opusc. tract. 11.  
Sotus 4. dist. 24. q. 1. art. 4. & Michaël Medina l. 1. de sacrorum  
hom. continentia c. 46. neq; non cum illijs alij censent solis tri-  
bus maioribus ordinibus dignitatem sacramenti conuenire.  
Quinimò Magister Subdiaconos, qui tamen ad maiores per-  
tinent, & Acoluthos, cum tempore Apostolorum non fuissent  
ab Ecclesiâ introductos scribit 4. dist. 24. K. Bellarminus ipse  
de ord. c. 6. de Diaconis in hunc modum; *valdè probabile est eorum ordina-  
tionem sacramentum esse, licet id non sit certum ex fide.* De Sub-  
c. 7. diaconatu *non est tanta certitudo. Nam nec in scripturis de eo  
fit mentio, nec eius ordinatio habet manus impositionem. Est tamen  
valdè probabile etiam hunc ordinem esse sacramentum.* Deniq;  
c. 8. de minoribus ordinibus *minus probabile est, quòd sacramenta  
sint, quàm de subdiaconatu. Absolutè tamen probabilior sententia  
est, quæ ordines omnes sacramenta esse docet, quàm ea quæ id negat.*  
Cum Bellarmino facit etiam Greg. de Valentiâ 4. in Thom.  
disp. 9. q. 1. puncto 4. Addo hanc sententiam magis consentane-  
am esse Concilio Tridentino, quod cum can. 2. anathema iussit  
scilicet 7. esse, si quis dixerit præter sacerdotium non esse in eccle-  
siâ alios ordines, continuò can. 3. subiungit anathema in eum,  
qui dixerit ordinem non esse verè & propriè sacramentum.  
Verisimile enim est Concilium eodem modo ordinem in v-  
troq; Canone accipere. Sed videant ipsi, quorum interest:  
& simul quem tandem terminum ponere velint numero Sa-  
cramentorum. Nam quum ordines re ipsâ inter se sint distin-  
cti, & distinctos numeroq; diuersos characteres imprimant,  
adeoq; singuli propriam rationem, secundû quam sacramen-  
ta dicuntur, obtineant, an non quot ordines, tot erunt sacra-  
menta?



XXIIX. Vnum est præterea, quod miror, quæ fiat, quod sanctissimus Pontificatus non sit sacramentum, quum tamen per eum conferatur gratia spiritualis eminentior & diuinior quam in vlllo alio sacramento, nempe non-errandi & infallibiliter de capitibus nostræ religionis determinandi: nisi forte minor sit sacramenti dignitas, quam tanto fastigio decen- ter tribui possit.

XXIX. ABSOLVTIO, quæ generales promissiones singulis hoc ministerio vtentibus adplicantur, mandatum habet & promissionem. Deficit in externo elemento, signo & ritu diuinitus instituto.

XXX. VNCTIO infirmorum symbolum erat sanationis, quæ per eam conferebant discipuli Christi. Marc. 6, 13. *Vngent oleo multos agros & sanabant.* Mansit hoc donum aliquamdiu in Ecclesiâ primitiuâ; vnde epistola Iacobi: *Infirmatur quis in vobis? aduocet presbyteros ecclesie: & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: Et oratio fidei seruabit infirmum, & eum eriget eum Dominus:* manifestum est verba fieri de restitutione sanitatis, quam etiam tum temporis per hoc symbolum nonnumquam conferri solitam verisimile est. Deinde addit ipsam causam sublatam iri, ob quam plerumq; immittuntur morbi, & si inquit, *peccata perpetraverit, remittentur ei.* Nihil tamen minus colligi hinc potest, quam remissionem adscribi ritui vnctionis: sed sicut ipsam sanitatem præcipue orationi fidei, sic hinc remissionem peccatorum eidem tribuit. Neq; verò quid sui officij esset presbyteri ad ægrum acciti ignorabant, nempe vt de causâ morborum verba facerent, & de seriâ poenitentia & fide in Christum admone- rent. Non autem Epistola presbyteros instruit, sed ægros adloquitur & docet, quod presbyteros accersere debeant, & addit fore, ne ipsos huius rei poeniteat, verum operâ eorum sanitati non corporis modò, sed animæ quoq; restitutos iri.

Ff 2

Atq;





Atq; hinc est, quòd non presbyteris quos suum officium vel nouisse, vel aliunde discere posse existimat, sed ægris quid & in quem finem facere debeant, præscribit.

XXXI. Hic itaq; locus, vtut in eo solo præsidium suæ causæ collocent Pontificij, nimium infirmus est tibicen, quo Extrema vnctio statuminetur. Hæc enim ab illâ toto genere differt: conferunt constitutis in periculo mortis, de quorum vitâ desperatum est, vnde Sacramentum exeuntium nuncupant, nempe oleo ab Episcopo consecrato vngunt septem corporis partes, nimirum oculos, aures, nares, os & manus, propter quinq; sensus; deinde renes, vbi est sedes concupiscentiæ; & tandem pedes ob vim progressiuam & exsequutionem: hac pronunciatâ formulâ: *Per istam sanctam vnctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum &c.* & similiter in alijs membris. Effectum adscribunt absterisionem reliquiarum peccati. Iacobi autem vnctio ægrotis quibus spes sanitatis erat, conferri iubetur, vt per eam & orationem fidei à Domino erigatur, sibiq; restituatur æger: eadem nempe, cuius mentio apud Marcum, quidquid manifestæ veritati & antiquioribus Theophilacto, Bedæ in Marcum & Oecumenio in Epistolam Iacobi comentantibus reclamatione Sotus, Iansenius, Bellarminus, Suarez.

l. i. c. 18.

l. i. tom. 3.  
hær. 36.  
ad Quod-  
vult. hær.  
16.

XXXII. Suam itaq; vnctionem rectiùs referant ad Valentinianos, qui mortuos redimebant ad finem defunctionis, mittentes eorum capitibus oleum & aquam, vt scribit Ireneus; siue Heracleonitas, vngentes qui ad exitum vitæ deuenerant, *ἐλαίον ὕδατι μίξαντες ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς τῶν ἐξελθόντων* & acceptâ à Marco occasione, teste Epiphanio. *Feruntur*, ait Augustinus, *suos morientes nouo modo redimere, id est, per oleum, balsamum & aquam, & inuocationes, quas Hebraicis verbis dicunt super capita eorum.*

XXXIII. Pontificiam vnctionem à Christo institutam esse



esse negant ex ipsis Pontificijs Hugo de S. Victore l. 2. de sacram.  
c. 2. Magister 4. dist. 23. B. Alensis 4. part. quest. 8. memb. 2. art. 1.  
Aristodorenensis l. 4. sum. tract. 7. cap. 1. Bonaventura 4. d. 23. art. 1.  
q. 1. ait: *Cum in Evangelio sufficienter lex Evangelica exprimat,  
& hac contineat Christi statuta & facta, & magis statuta quam fa-  
cta, quomodo probabile est ut omnes Evangelista sic sub silentio tam  
nobilis sacramenta pertransissent?* Thomas dicit: *Extrema un-  
ctio & Confirmatio neq; sunt de necessitate salutis, neq; ad disposi-  
tionem siue distinctionem ecclesie pertinent.* Suppl. q. 29. art. 3.

XXXIV. MATRIMONIUM deficit in requisitis primo,  
tertio, quarto & quinto.

XXXV. Strictè itaq; accepto vocabulo, non adpellamus  
sacramenta nisi Baptismum & Eucharistiam. Sin latè sumat-  
tur, concedimus ut ordinationem & Absolutionem sic quo-  
que Matrimonium (nam Confirmationem & Vnctionem  
planè reijcimus) eo insigniri posse, cum ut horum digni-  
tas & vsus magis commendetur, tum quia aliquam habent  
cum veris sacramentis analogiam. In hunc sensum Apolo-  
gia Augustanæ confessionis: *Non multum referre putamus, et- art. 13.  
iam si docendi causâ alij numerant aliter, si tamen rectè conseruent  
res in scripturâ traditas.* Item: *Nemo vir prudens de numero aut  
vocabulo magnopere rixabitur, si tamen ille res retineantur, qua  
habent mandatum Dei & promissiones.*

XXXVI. Postremò de caractere monendum est, quem  
in tribus sacramentis, Baptismo, Confirmatione & Ordina-  
tione imprimi docent, & dissentientibus anathema dicunt  
Tridentini. Definiunt autem, *signum quoddam spirituale & in- fess. 7. can. 9  
delebile, unde ea sacramenta iterari non possunt.* Gabriel pleni-  
ùs: *Est signum spirituale à Deo solo animæ impressum in susceptio- 4. dist. 6. q.  
ne initerabilis sacramenti, manens indelebiliter de lege communi. 2. not. 3.*  
Bellarminus dicit se probare ex diuinis litteris, caracterem  
esse, vbi profert loca 2. Cor. 1, 21; Eph. 1, 13; & 4, 30. Verum



de sacr. in  
gen. l. 2. c. 20

concl. 1.

dub. 5.

Gregorius de Valentia, qui 4. in Thom. quest. 4. puncto 2. eadem adducit, agnoscit vanitatem consequentiae, & dicta illa torqueri, propterea dicit, suffragari huic adsertioni scripturam, si absq; pertinacia & proteruitate intelligatur. Et Fr. Suarez. tomo 3. in tertiam Thomae disp. 11. sect. 1. Licet per se non cogant, tamen supposita traditione Ecclesiae & veritate characteris, verisimile est, Paulum usum fuisse verbo signandi propter characterem. Gabriel definitioni quam modò adscribebamus, paullò post subiungit: Characterem esse ponendum eo modo, quo definitus est, nec ratio necessaria demonstrat, nec evidens auctoritas probat. Item: Omnia quae adtribuuntur characteri, puta significare, configurare, distinguere, disponere, rememorari, obligare aequè soluntur sine characterem sicut cum characterem. Omnia enim operatur sacramentum ipsum sine characterem. Et: Omnia de characterem dicta pro magna parte voluntaria sunt, & modicà ratione fulcita. Caietanus in 3. Thom. quest. 43. disertè fatetur esse rem nouam.

XXXVII. Iam verò posito, quòd sit character, miserè inter se digladiantur, ad quamnam rerum classem referendus sit. Durandus 4. dist. 4. q. 1. docet non esse nisi ens rationis siue respectum rationis, quæ sententia nunc, quia non procul abest à vero, intolerabilis. Scotus 4. dist. 6. q. 10. probabilius censet esse relationem realem. Richardus 4. d. 5. art. 2. q. 1. esse reductiuè qualitatem, quæ ad triplicem eius speciem, primam, tertiam & quartam pertineat. Alensis 4. parte quest. 19. memb. 1. art. 2. & Bonavent. 4. d. 6. art. 1. q. 1. non nisi in primâ collocant: Marsilius 4. quest. 4. art. 1. concl. 7. in quartâ: Thomas 3. quest. 63. art. 2. in secundâ; & hanc sententiam adprobant Soto, Caietanus & Valentia. Sed Suarezio videtur difficillima, propterea ipse facit cum Alensi & Bonaventurâ. Bellarminus absolutam qualitatem esse dicit; reliquis difficultatibus se non immergit. Verùm referant, quo referri debet, ad genus rerum sub quo continetur Tragelaphus, & rem factam habebunt.

Tantum



Tantum de sacramentis in genere dictum esto. Nunc  
speciatim, primò quidem de Baptismo, deinde Sacrà cœnâ  
agendum erit.

DISPUTATIO X. *Ca.*

DE BAPTISMO.

THESIS I.

**B**aptismus ἀπὸ τῆς βάπτω aut βαπτίζω intinctionem  
propriè sonat, & quidem vt hodiè Ecclesia loqui-  
tur, illam sacramentalem, per quam primum cum  
Deo pactum inimus. Aliàs generatim quamlibet  
ablutionem significat. Atq; inde Marcus 7, 4. *βαπτισμὸς πο-*  
*τηρίων καὶ ξυστῶν καὶ χαλκίων καὶ κλινῶν* dicit.

II. Specialis magè & scripturæ propria prior est. Sed  
nec illa tantùm. Nam sumitur Baptismus quoq; pro doctri-  
nâ & institutione. Ita Matth. 21, 24. Luc. 20, 4. *Baptismus Io-*  
*annis eratne ex cælo, aut non?* Act. 18, 13. 19, 25. *Apollo tantùm*  
*baptisma Ioannis sciebat.*

III. Et pro effusione sensibilibum donorum Spiritus san-  
cti. Sic Ioannes ait Matth. 3, 11. & Luc. 3, 16. *Qui post me*  
*uenturus est, ipse vos baptizabit in spiritu sancto & igni:* Repetit  
Seruator, & idem promittit Act. 1, 6. *Ioannes quidem baptizauit*  
*aquâ, vos autem baptizabimini spiritu sancto non post multos hos di-*  
*es.* Vide quoq; Act. 11, 16. Priore Cor. 10, v. 2. accipitur pro  
miraculoso transitu per mare rubrum. *Omnes eis τὸν μωσῆν, hoc*  
*est, ductu Moſis baptizati sunt in nube & in mari.*

IV. Et pro cruce, quæ & ipsa immersio quædam in cala-  
mitates. Matth. 10, 38. *Potestisne baptizari baptismo, quo ego*  
*baptizor?* Luc. 12, 50. *Baptismo oportet me baptizari, & quomodo*  
*coarctor, vsq; dum perficiatur.*

V. Baptismum alij triplicem faciunt, Fluminis, Fluminis  
&



& Sanguinis, quo scilicet tempore persecutionum catechumeni ante susceptum baptismum de suâ fide testimonium perhibebant. Verùm omiſſis hiſce ſignificationibus translatis agendum nobis eſt de Baptiſmo accepto propriè & pro ſacramento Noui Teſtamenti.

VI. . . Talis Baptiſmus primùm cepit ministerio Ioannis præcurſoris Meſſiæ, priuſquam ipſe Meſſias ſuum inchoaret ministerium. Non autem ab homine erat, ſed à Deo, *Matth. 21, 25. Luc. 20, 4. Ioan. 1, 33.*

VII. Baptizauit verò aquâ. Verba quæ adhibuerit, & an eadem quæ à Chriſto poſtillâ adhiberi iuſſa ſunt, incertum eſt. Baptizauit nihilominus in pœnitentiam *Matth. 3, 11.* prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum *Luc. 3, 3. Marc. 1, 4.* Et baptizabantur ab illo conſitentes peccata ſua *v. 5.* Atq; ille concionabatur: Pœnitentiam agite *Matth. 3, 2.* Facite fructus digni pœnitentiæ *Luc. 3, 8.* Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. *Ioan. 2, 29.*

II X. Chriſtus ſimul ac ſemel ſeſe manifeſtare, ac opus redemptionis noſtræ inchoare cepit, cepit quoq; baptizare. Quanquam non baptizabat ipſe ſed diſcipuli eius. *Ioan. 4, 2.*

IX. Poſtquam officium ſuum impleuiſſet iam vnde venerat adſcensurus expreſſum mandatum promulgauit. *Euntes, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti.* *Matth. 28, 19.* Hæc verba tanquam forma ſunt baptiſmi, quæ cum aquâ, vtpote materiâ, ipſam eius eſſentiam conſtituunt. Adnectitur quoq; promiſſio: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* *Marc. 16, 16.*

X. Hinc manifeſtum eſt, quomodo conueniant Baptiſmus Ioannis & Chriſti. Vterq; non ab homine eſt, ſed à Deo. In vtroq; eſt aqua. Verba quoq; ſi non eadem, attamen æquipollentia. Neq; enim in ſuo nomine baptizauit Ioannes, verùm vel expreſſè in nomine Trinitatis; vel implicite in nomine



mine Dei, qui trinus in personis, vnus est in essentiâ. Vtro-  
biq; quoq; effectus est idem, nempe remissio peccatorum.  
Conueniunt igitur in substantialibus.

XI. Differunt in hoc, quòd prior fuerit baptismus in Mes-  
siam iam iam exhibendum. Posterior verò in exhibitum.

XII. Omisso autem Baptismo Ioannis, de quo spinosas  
quæstiones mouere & discutere difficilius quàm vtilius; Ba-  
ptismum quo nunc vtitur Ecclesia, dicimus esse Sacramen-  
tum noui foederis, ab ipso Christo institutum hoc ritu, vt in  
nomine P.F. & S.S. aquâ tingantur homines, quibus ex ad-  
nexâ promissione diuinâ obtingit regeneratio, adoptio & ad-  
plicatio totius meriti Christi.

XIII. De causâ efficiente principe dicimus quòd ea sit  
Christus. Atq; ab huius institutione & promissione depen-  
det tota baptismi vis & efficacia.

XIV. Ea est *ὑποθεσία* & quæcunq; eò spectant: statuimus  
enim quoscunq; baptizatos à Deo in foedus recipi, regenera-  
ri, renouari, peccatorum remissionem impetrare, omnium  
Christi meritorum participes fieri, per baptismum quidem  
tamquam instrumentum offerens & adplicans; per fidem ve-  
rò tamquam adprehendens.

XV. Atq; hæc omnia baptizatis per illum ipsum baptis-  
mum non tantum conferuntur, verum etiam obsignantur.  
Inde enim Paulus circumcisionem cuius locum baptismus Rom. 4. 110  
occupauit *σφραγίδα* adpellat *τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως*. Petrus 1. Ep. 3, 21.  
ipsum baptismum *συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς θεόν*.

XVI. Quòd autem reuerâ adplicentur testantur hæc  
dicta: Quicunq; baptizati estis, Christum induistis *Gal. 3, 27*. I-  
tem: Baptismus est lauacrum regenerationis & renouatio-  
nis in Spiritu sancto. *Tit. 3, 5*. Mundans Ecclesiam lauacro a-  
quæ in verò *Eph. 5, 26*. Petrus *1. Ep. 3, 21*. saluos nos facit ba-  
ptisma.



XVII. Hoc tenendum est aduersus Calvinianos, qui negant regenerari, vt in Colloquio Mompelgartensi Beza professus est, licet millies baptizentur, quotquot fingunt electos non esse & ad vitam prædestinatos absoluto illo decreto, contra quod alio loco disputauimus. Atq; ideo ista baptismo non dicunt conferri, sed tantum significari. Quid verò significabitur, vbi nihil tum confertur, neq; verò vnquam conferetur? Quò ad magnam itaq; partem baptizatorum baptismus nec erit lauacrum regenerationis, nec signum eius, his scilicet, qui finguntur absolutè reprobis. Quid igitur nisi ludibrium Dei & hominum?

XIIX. Sed & alterum istud tenendum est, fidem adprehendentem requiri. Hanc Spiritus sanctus in infantibus per ipsum baptismum, quoniam locum ibi aliud medium non habet, operatur, vt postea ostendemus. Adultis autem patet auditus verbi, quo neglecto fides non donatur. Adulti itaq;, quia verbum negligere, simulare & hypocritas agere possunt, & in peccatis contra conscientiam perseuerare, qui eorum tales sunt, ijs negamus quicquam in baptismo conferri, non quòd Deus nolit, sed quòd ipsi, adeoq; obicem ponant & Spiritui S. contumaciter resistent. Foedus itaq;, adoptio & regeneratio huiusmodi quidem hominibus, quantum ex parte Dei & ministerij offertur; non autem, quoniam ipsi eam repudiant, confertur.

XIX. Cæteros bona in baptismo promissa adipisci dicimus ex vi institutionis & promissionis. Beda dicit *Christum contactu sue mundissimæ carnis contulisse vim regeneratiuam aquis*. Verum rectissimè Gabriel 4. d. 3. quæst. vn. dub. vlt. *Vis illa, inquit, non fuit aliqua realis entitas aquæ inherens, sed fuit ordinatio aquæ, vt esset materia baptismatis.*

XX. A diuinâ itaq; institutione & promissione quia efficaciam suam trahit baptismus, nihil moramur dignitatem  
mini-



ministri siue credat ipse, siue non; siue intendat facere & conferre quod Ecclesia, siue non, modò tamen ipsum baptizandi actum intendat.

XXI. Quare baptizati ab hæreticis non sunt rebaptizandi, vt docuerunt & fecerunt Donatistæ. Originem duxerunt circa A. C. vt notat Hieronymus in Chronico 331, à Donato quodam Numidâ, qui à Cæciliano episcopo Carthaginis contra ipsius voluntatem electo se disiunxit, & Maiorinum suæ functionis episcopum constituit. Maiorino successit alius Donatus, priore doctior & eloquentior; & huic Parmenianus, cuius epistolam tribus libris refutat Augustinus; Petilianum itidem, Cresconium & Gaudentium singulos totidem: qui cum reliquis compluribus contra Donatistas scriptis exstant tomo septimo operum Augustini. Contra eosdem Optatus quoq; Mileuitanus sex libros ad Valentinianũ & Valentem Imperatores scripsit. Plura inde petantur, & è catalogis Philastrij & Augustini hæc. 69. & lib. 4. hæret. fabularum Theodoret. Miror autem cum maturè adeò ceperint, ab Eusebio, Socrate, Sozomeno nullam eorum fieri mentionem.

XXII. Præcipuus error fuit, quòd baptismum ab infideli collatum inutilem adfirmarent, adeoq; iterarent. Nos autem ostendimus efficaciam sacramentorum ab instituyente & institutione pendere. Porrò circumcidebant in V. T. increduli sacerdotes; baptizabat in Nouo apostata & proditor Iudas: neq; propter hunc aut illos vel circumcisio vel baptismus erat irritus.

XXIII. In casu quoq; necessitatis (aliàs omnia ordine & decenter fieri debent, *1. Cor. 14. v. vlt.*) fæminis permitti potest, vt baptizent. Nam & illæ membra sunt Ecclesiæ, & cohæredes gratiæ vitæ *1. Petr. 3, 7.* Et per illas circumcisionem efficaciter administratam fuisse legimus. *Ex. 4.* Nam in Chri-

G g 2 sto



sto Iesu nec mas est nec foemina Gal. 3, 28. Deinde quales & quantæ & quibus spiritus donis dotatae fuerunt Debora *Iud.* 4. & 5. Hulda 2. *Reg.* 22. Anna *Luc.* 2. Priscilla erudijt Apollon *Act.* 10. Eunice mater & Lois auia Timotheu 2. *Tim.* 1. Quod si igitur fæminæ verbum, quod itidem instrumentu diuinu est, vtiliter tractare possunt; quod si inquam necessitate ita urgente munus docendi & consolandi recte & efficaciter cooperante Sp. sancto sibi sumerent, quæ causa, quò minus, si opus fuerit, baptismum administrent potius quam omittatur, & infantis salus manifesto periculo exponatur?

XXIV. Repudiamus itaq; sententiam Calvinianorum, quæ vt intelligatur, eam totam adscribemus verbis Magistri ipsorum, ex Epist. 326 earum, quas edidit Beza. *De questione, inquit, propositâ sic sentimus. Quia nemo priuatus legitimus est baptismi minister huic malo seuerè occurrendum esse; quia est manifesta baptismi profanatio. Et quoniam hic mos peruersus ex superstitione traxit originem, dum salutis necessitas signo adfixa fuit, eò minus fouendum est duplex malum. Dubitanter hac de re loquitur Augustinus: Si quispiam priuatus baptizet ubi cogit necessitas, aut nullum est aut veniale delictum. Atqui nobis longè pluris esse debet inuiolabile Christi mandatum. Ite, docete, baptizate. Hic nexus absq; sacrilegio solui non potest. Accedit Apostoli sententia. Nemo usurpat sibi honorem, sed qui vocatus est. Heb. 5, 4. Adulterinum ergò baptismum censemus, qui administratus est à priuato homine, ubi de vero Baptismi usu admonita fuerit Ecclesia, quod pugnaret cum Christi instituto pro nihilo ducendum esset, ac de integro baptizandus, qui pollutus fuerit profanâ adspersione. De mulierum baptismo aliud est nostrum iudicium. Nam quia prodigiosa fuit audacia, vt se præter naturæ legem mulieres ad hoc munus ingererent, minimè dubitamus quin securè tale flagitium repudiandum sit.*

XXV. Hactenus de efficientibus principe, & ministrantibus; & de effectis. Nunc etiam consideremus Materiam. De formâ res plana est. 26. Ma-



XXVI. *min* Materia ex quâ pura est & naturalis aqua. Ita enim baptizauit Ioannes in Iordane. Apostoli in fluminibus passim obuijs, vt ex Actis patet. Consecrationes igitur Pontificiorum cum sale, saliuâ, cereo, exsufflationibus, signationibus & vnctionibus suis mandata sunt hominum, de quibus dicetur aliquando: *Quis requisit hac de manibus vestris?* Cere- monias autem pontificias circa baptismum vide apud Gabri- elem 4. dist. 6. in fine ex Hugonis l. 2. de sacr. p. 6. cap. 10. & 11. Et ipsum Bellarminum de Bapt. c. 24, 25, 26, 27.

XXVII. Materia circa quam sunt homines, & quidem omnes. Non autem promiscuè omnes, ne margaritæ porcis obijciantur: sed qui postulant vel per se vel per alios. Bapti- smus enim Sacramentum est Ecclesiæ & ob signatio doctrinæ Euangelij. Quare extra Ecclesiam vbi Euangelium non do- cetur, nec fantibus nec infantibus impertiri debet.

XXIIX. In ecclesiâ vero quibuscunq; petentibus. Non autem pluries, quoniam non exstant mandatum aut exem- plum iterationis. Rectissimè itaq; Gabriel: *Initerabilitatis sacramentorum principalis ratio non est characteris impressio: Sed sola diuina institutio. Nec est alia causa cur sic vel sic institue- rit, nisi quia sic voluit, & diuinæ voluntatis causa prior quarendâ non est.*

XXIX. Infantibus impertiendum docemus, contra A- nabaptistas, qui id rabiosè negant, quemadmodum Seruetus quoq; & Seruetiani Antitrinitarij Transyluani. Fundamen- ta nostra hæc sunt. Primò expressum mandatum Matth. 28, 19. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos. II. Cir- cumcisio typus erat Baptismi succedentis in eius locum, adeo vt Paulus Baptismum dicat circumcisionem Christi. Infantes Colof. 2, 11. igitur quia circumcidebantur, non minus quoq; baptizabun- tur. III. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & spiritu, non potest in-* Ioh. 3, 5. *troire in regnum Dei.* Hæc verba Christi sunt. Sed & hæc Chri-



sti sunt: *finite τὰ βεβήθη ad me venire*, talium enim est re-  
gnū Dei. *Matth. 19, 14. Marc. 10, 14. Luc. 18, 16.* Et non est volun-  
tas patris vestri qui in coelis est, vt pereat vnus de pusillis istis  
*Matth. 18, 14. τὰ βεβήθη* igitur renasci debent ex aquā & spiritu.

6. 49. v. 22.

*Eccē leuabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo vexil-  
lum meum, & adferent filios tuos in vlnis, & filias tuas super hume-  
ros portabunt.*

XXX. Ex dicto autem Christi apud Ioannem supra ci-  
tato colligimus aduersus Caluinum Baptismum ad salutem  
necessarium esse, & infantes ex necessitate baptizari. Neq;  
enim sancti nascuntur, vt de filijs fidelium idem docet, sed ex  
posteris Adæ, contaminati peccato originis, quod suo loco  
pluribus demonstrauius. *Constituē quemlibet paruulum, ait  
Augustinus, si iam cum Christo est, vt quid baptizatur? Si autem,  
quod habet veritas, ideo baptizatur vt sit cum Christo, profectō non  
baptizatus non est cum Christo. Et quia non est cum Christo ad-  
uersus Christum est.*

v. de pecc.  
mer. & rem.  
c. 28.

de fide ad  
Petrum  
c. 27.

XXXI. Non tamen ex illo dicto apud Ioannem (vt nimis  
rigidē Augustinus) omnem spem salutis præcisam volumus  
vel in vtero materno, vel subito & inopinatō ante susceptum  
baptismum defunctis. Illis enim, quia nati nondum sunt, haut  
opus est vt renascantur: de istis verō dicimus Deum qui or-  
dinariē saluat per media, nihilo minus saluare posse sine me-  
dijs: Velle etiam; modō ne ea impiē contemnantur, aut otio-  
sē neglegantur: nam sic & latro sine baptismo seruatus est,

4. de bapt.  
c. 23.

*quia, vt ait Augustinus, non eius accipiēda voluntas defuit, sed  
non accipiēda necessitas adfuit. Voluntas enim patris non est, vt  
pereat*



pereat vnus de pusillis istis *Matth. 18, 14*. Deinde promisit se ex  
auditurum preces parentum, suam sobolem pijs votis in fide  
offerentium & commendantium. Et Abrahamo, cuius filij  
per fidem facti sumus, iurauit: *Ero Deus tuus & seminis tui post* Gen. 17, 7<sup>o</sup>  
*te. Item: Vobis facta est promissio & filijs vestris.* Porro quot in- Act. 2, 39<sup>o</sup>

fantes ante octauum diem, & susceptam circumcissionem de-  
cessisse dicamus; quot item sine eadem cum inter mittetur per Ief. 5, 5.

XL annos itineris in deserto; quot in Aegypto mox à partu  
in aquam mandato Parhonis abiectos & suffocatos, quibus  
vitam & salutem à Deo negatam esse quis adfirmabit? De-  
mum in vtero quoq; virginis matris hospitium suum habuit  
seruator noster Christus, atq; ita hunc etiam suis sanctificauit.

XXXII. Dico autem suis contra Fr. Puccium. Nam quia non  
priuatio sed contemptus damnat, vbi est contemptus Baptismi,  
ibi presentissimum periculum damnationis. Deus enim me-  
dia sua non vult contemni. Et qui non habet in terris ecclesi-  
am matrem, neq; habet in coelis Deum patrem. Porro Iudæo-  
rum, Turcarum & similium infantes hoc priuilegio frui non  
possunt, quum nec vlllo suspirio à suis parentibus Christo com-  
mendentur, nec parentum animus sit, eos vnquam Christo of-  
ferre, sed magis infensissimo aduersus Christum & veram ec-  
clesiam odio ab ipsis incunabulis innutrire & adsuefacere.

XXXIII. Postremum quod hac disputatione tractabi-  
mus, erit de fide infantum. Fides ex nobis non est, sed donum  
Dei, quod Spiritus sanctus operatur. Ordinariè quidem per  
auditum verbi. Infantes itaq; quum verbum audire & do- Rom. 10, 17.  
ceri nequeant, ordinariè & per hoc medium in eis fidem Spi-  
ritus non operatur.

XXXIV. Quis autem negabit eum sine medio operari  
posse, modo nobis incognito & ineffabili? *Quae impossibilia* Luc. 18, 27.  
*sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.* Certè Baptista iux-  
ta predictionem Angeli, in vtero materno motus sensit Spi-  
ritus



Luc. 1. 41.

tus sancti. *Exultavit enim, ut audiuit salutationem Mariae Elizabeth.* David se Domino confisum dicit ab utero à visceribus matris suæ. *Psal. 71, 6.*

XXXV.

Heb. 11, 6.

Marc. 16, 16.

Atq; de infantibus qui baptizantur, quorum est regnum coelorum, non dubitamus quin in eis Spiritus S. fidem operetur. Indubitato enim regenerantur, sanctificantur & adoptantur in filios Dei. At nihil horum fit sine fide. Nam impossibile est Deo placere sine fide. Quiq; non crediderit, condemnabitur.

XXXVI.

Et manifesta sunt testimonia: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu.* Spiritus igitur in baptizatis operatur, ut possint remissionem peccatorum & regnum Dei accipere. Medium autem quo regnum Dei accipi possit, aliud præter fidem in scripturis non inuenimus. *Marci 10, 15: Amen dico vobis, quisquis non receperit regnum Dei sicut paruulus non intrabit in illud.* Si itaq; paruuli non credunt, quisquis crediderit & non receperit regnum Dei sicut incredulus paruulus, non intrabit in illud. *Matth. 18, 6: Qui scandalizauerit unum de pusillis istis, qui in me credunt.* *Rom. 4, 11.* dicitur de circumcissione, quod sit signaculum iustitiæ fidei. Quòd si infantibus circumcisis tribuitur iustitia quæ per fidem est, certè ipsa quoque fides sine quâ ista iustitia non obtingit, tribuetur.

XXXVII.

Non verò diffitemur nos modum, quo fidem vel accipiant vel habeant nescire. Neq; hoc inficiamur de ipsis illis. Nam rationem quoq; habent, non tamen sciunt se habere; non effectis, ex quibus eam arguere possis, ostendunt. Laborant quoq; vitio originali, nec hoc ipsum sciunt, nec quisquam nisi ex scripturâ constaret, rescilceret.

*Tantum quoq; de priore N. Testamenti sacramento,*

*S. Baptismo.*

*Disputationem 11. de Coena*

*Vide retro reversis 28. folijs.*



00 A 6446

ULB Halle 3  
002 935 767




WMA

Retro ✓









DISPUTATIONVM THEOLOGICARVM  
OCTAVA  
*De*  
P O E N I T E N T I A .  
CVIVS THESES  
AVSPICE DEO OPT. MAX.

SUB PRAESIDIO  
M. GEORGI CALIXTI  
HOLSATI  
IN ILLVSTRI ACAD.  
IVLIA

XII I. Kal. Sextil.  
DEFENDET  
GOTFRIDVS HOFFMAN, *Strasburgensis.*



*Helmæstadt Saxonum*  
Ex officinâ typographicâ IACOBI LVCII,  
ANNO

—  
c l o l o c X I .

